

13. 678 b.

b.
ii.

IOA. ORTWINI WESTENBERGII
 ICTI QUONDAM
 APUD
 BATAVOS CELEBERRIMI
OPUSCULORUM
ACADEMICORUM
FASCICULUS PRIMUS
 OB
 RARITATEM ET PRAESTANTIAM
 DENUO EDIDIT
 ANIMADVERSIONES NONNULLAS ADSPERSIT
 ET PRAEFATUS EST
IOS. LUD. ERN. PUITTMANNUS
 ANTECESSOR LIPSIENSIS.

LIPSIAE
 APUD CHRISTIANUM ERNESTUM GABLERUM
 M D C C X C I V.

JOA. GERTANI
ACADEMIAE
ARTS
OPUSCULORUM

ACADEMIE ORGANI
LASCICUTUS PRIMUS

ET TITULUS
ANNUALISATIONE INDIVIDUALIS
TOMUS I. D. BRN PINTURARUM
ET DECORARUM MUSICOGRAPHICARUM

LAESI
MUSICOGRAPHICARUM
D. CH. H. D. C. H.

AEQUO PERITOQUE LECTORI

S

Inter Iurisconsultos, qui hoc ipso, quo vivimus,
seculo in Belgio foederato caput prae ceteris ex-
tulerunt, locus profecto haud postremus debe-
tur Io. ORTW. WESTENBERGIO, castissimo ae-
que ac litteratissimo iuris romani, ne quid de
aliis iurisprudentiae partibus dicam, interpreti.
Paucis abhinc annis H. I. ARNTZENIUS, Ictus Ba-
taurus, optimam iuris romani Antecessoris formam

in GER. NOODTIO spectandam singulari Oratione nobis proposuit *a)*. Poterat sane Vir doctissimus eodem iure I. O. WESTENBERGIUM tanquam perfectissimum omnibusque numeris absolutum iuris romani Antecessoris exemplar ostendere; vtque libere, quid de his duumuiris mihi videatur, dicam, plus sane iuris romani studio WESTENBERGIUS, vtpote modestissimus legum romanarum interpres, quam NOODTIUS, nimis interdum indulgens ingenio, profuisse mihi videtur. Vt cunque autem sit, (nam ea de re nolum cum aliquo contendere), dignus profecto est WESTENBERGIUS, cuius memoria apud omnes, qui iuris romani studio fauent, sancta sit atque p[er]en-

a) Vid. H. I. ARNTZENII *Or. de optima iuris romani antecessoris forma in Ger. Noodtio, Nouiomago spectata, Trai. ad Rb.* 1788.

perennis; tot scilicet ad nos transmisit praefstan-
tissima ingenii monumenta, quae

~~animal auxilio~~ — nec imber edax, aut Aquilo impotens
BA — Posit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.

Virtutibus WESTENBERGII parentauit simulque
de vita eius et obitu exposuit I. C. RÜCKER Or.
elegantissima, quae mox typis excusa Leidae
1737. nunc etiam legitur inter I. C. RÜCKERI
Orat. quinque, eiusdem diss. de ciuili et naturali
temporis computatione in iure, adiectas p.
303. b). Exstat porro I. O. WESTENBERGII
Elogium in *Nouis Actis Eruditorum*, Lipsiae an-
no 1739. publicatis pag. 717. nec non aliud in
EMONIS LUCII VRIEMOETII *Athenis Friesacis*, p.

776.

I) Eandem etiam I. H. IUNGIVS praef. sue Tom. I.
Operum Westenberg. praemissae inseruit.

776. no. 101. quod quidem, quia VRIEMOETII
liber e) his certe in oris rarissimus est, cum
lectoribus nostris communicare, calcique huius
libelli adiicere operaे pretium duximus d). Ad
opera

e) Integer titulus ita se habet: *Emonis Lucii Vriemoet
Athénarum Frisacarum libri duo, quorum alter,
praeter historiam Academiac, quae est Franequeræ,
elogia Sereniss. et Ampl. Epbororum, alter Cl. Pro-
fessorum, cum serie secretariorum, bibliotbecario-
rum — a natibus eius ad praesens aevum usque
completetur. Leouardiae 1758. 4.*

d) WESTENBERGII nostri mentionem etiam fecit Cel.
SAXIUS in *Onomast. litterar. P. V. p. 363.* his ver-
bis: *I. O. Westenbergius: Neobusia — Bentheimen-
sis Westphalus, Ictus et Philologus, mox Steinfur-
tensis, mox Harderovicenae, mox Franequeranae et
tandem Leidensis Academiae, anno 1687, disputa-*
tionens,

opera WESTENBERGII quod attinet, produit qui-
dem Diuus eius *Marcus s. Diff.* numero 45. ad
Constitutiones Marci Aurelii Antonini Imp. L. B.
1736. vti testatur non modo auctor elogii We-
stenberg. in *Nouis Actis Eruditor. Lipsiensibus su-*
pra laudatis p. 720. sed etiam VRIEMOET l.c. e).

Postea

tionem de usuris Harderouici defendit. Nat. 1667.
mort. 1737. Effigies eius praefixa est Operum Tom.
III. additis his verbis: Io. Ortw. Westenberg, Iuris
Civilis Romani et bodierni Antecessor Lugd. Bat.

e) Verbis, quibus hae diff. in libro VRIEMOETIE
memorantur, pristinus eius possessor adscriptis:
Fuere antea exercitiis academicis destinatae, vidique
secundae partem alteram, Franeq. 1718, publice de-
fensam.

Postea autem vniuersa WESTENBERGII opera
edere non modo instituit, sed propositum etiam
ex parte perfecit Io. HENR. IUNGIVS, dignus
tanti magistri discipulus, no Prodiit enim Tomus
I. hoc titulo:

I. O. Westenbergii Opera omnia iuridica, nunc
primum collecta atque in tres tomos distributa,
curante I. H. Iungio, Hanouerae et Bremac,
1746.

itemque secundus eodem titulo ibidem 1747.
Primo continentur Principia iuris secundum or-
dinem Institutionum Imp. JUSTINIANI; differ-
tationes item IV. de portione legitima, liberis,
parentibus et fratribus relinquenda; nec non
dissertationes IX. de causis obligationum; Tomo
autem II. Principia iuris secundum ordinem Di-

gesto-

gestorum s. Pandectarum. His denique accessit
 Tomus III. continens *Diuum Marcum s. Diff. ad
 Constitutiones Marci Aurelii Antonini Imp. Hanoverae et Bromae 1758.* Sed verisimillimum est,
 non nouam hanc esse *Diui Marci* editionem, sed
 editioni supra laudatae nouum tantum titulum
 esse praefixum, qua de re nemo sere amplius du-
 bitat. In ahimo quidem habuit IUNGIUS, To-
 mo III. non modo *Diuum Marcum*, sed Opuscula
 etiam WESTENBERGII, i. e. orationes eius et
 dissertationes, inserere. Ait enim in praefatio-
 ne Tomo I. praefixa p. 3.

*Tomus III. porriget τὰ πάντα Westenbergii
 eruditissima varii argumenti opuscula, totidem-
 que iurisprudentiae terrioris omniumque littera-
 rum suauissima bellaria tibi apponet; Innuo-
 cultissimas Dissertationes ad Constitutiones*

Marci

Marci Aurelii Imperatoris: de ratione docendi
et discendi iuris: de calculo Mineruae, seu de
Lege ισοψηφιας eiusque iustitia: de iurispru-
dentia rationali: de iurisprudentia Pauli Apo-
stoli; de philosophia Iectorum et in primis ea,
quae circa legum collisionem versatur: de iure
Rhadamanthi: de iurisprudentia Q. Gerbidii
Scacuolae ceteraque, quarum mentionem inie-
cit Vir Cel. Io. Conr. Ruckerus, Iesus et An-
tecessor in Academia Leidensi longe morentissi-
mus, dignissimusque, dum fata sinebant, We-
stenbergio nostro Collega, in Or. qua A. 1737.
a. d. 23. Sept. iusta exsequiarum peregit, vi-
roque de iurisprudentia Romana immortaliter
merito statuam aere perenniorem in memoriae
fano posuit.

Sed,

Sed, ni fallor, difficultas scripta WESTENBERGII minora nanciscendi effecit, ut IUNGIUS proposito suo, Tomo II. addendi etiam tertium, plane desisteret, *Diuusque Marcus* nouo, ut diximus, titulo, Tomi scilicet III. insigniretur. Diu est, quod multi optarunt f), ut tandem existimat aliquis, qui, quod Iungius imperfetum reliquerat, opus perficeret, Westenbergiique opuscula etiam minora in vnum volumen collecta cum erudito orbe communicaret. Sed vota haec, et si multoties repetita, ad hunc usque diem fuerunt frustranea.

f) Atque inter hos etiam C. G. RICHTERUS in notis ad Fabricii Bibl. graecam. vid. infra pag. 138.

En! L.B. postquam mihi licuit esse tam fe-
 lici, ut nonnulla illorum opusculorum in manus
 meas peruererint, facio, quod possum, tibique
 in praesenti diss. binas, scilicet 1) *de iurispru-*
dentia Pauli Apostoli, et 2) *de iure Rbadamantii*,
 adspersis animaduersationibus nonnullis, exhibeo.
 Proximis nundinis, si Deus vitam dederit, pro-
 dabit volumen II. Or. *de iurisprudentia rationali*,
 et diss. *de iurisprudentia Q. Cerbidii Scaeuelae con-*
tinens. Mihi quidem gratissimum fuerit, si vi-
 tris doctis hosce conatus meos haud displicuisse
 intellexero, iisque, qui de reliquis WESTEN-
 BERGII dissertationibus et orationibus vnam aut
 alteram possident, eam easue nobiscum commu-
 nicare velint. Hoc certe est, quod eos, qui

litte-

litteris bene volunt, non nostra, aut librarij,
 cuius sumtibus hocce volumen iam in publicum
 prodit, sed iurisscientiae, sed litterarum, sed
 boni publici causa magnopere rogatos volumus.

Sane eiusmodi dissertationes, quales funt We-
 stenbergianae, paucissimae hodie in publicum
 prodeunt, rarae profecto aues in terris, cum
 quotidie in tabernis librariis videamus chartas
 scombris ac tineis, deoue tardipedi, aut si quod
 aliud numen chartis ineptis terriculamento est,
 relinquendas. Libri contra Westenbergiani
 tales funt, vt dici de illis fere possit, quod de

CAESARIS commentariis CICERO ait in *Brut. cap.*

75. *Nudi sunt, recti et venusti, omni ornatu ora-
 tionis, tanquam ueste, detraicto.* Vos L. B. res
 uestras

vestras feliciter gerite, nobisque fauere pergit.

Scripsi Lipsiae ipsis Calendis Maiis MDCCXCIV.

IOA. ORTWINI WESTENBERGII
OPUSCULORUM
ACADEMICORUM
FASCICULUS PRIMUS.

OPUSCULORUM
ACADEMICORUM
DIVERSITATIS

PRIMUM

COLLEGIUM ACADEMICUM

DISCIPLINARIA

EXERCITIA

TESTIMONIA

APPENDIX

I.

IOANNIS ORTWINI WESTENBERGII

ICTI ET ANTECESSORIS

PAULUS

TARSENSIS IURISCONSULTUS

SEU

DISSERTATIO

DE

IURISPRUDENTIA

PAULI APOSTOLI

HABITA FRANEQUERAE

IPS. KAL. IUN. MDCCXXIX

PAULI APOSTOLI
BREVIALE
DISSESTITO
TERRIS
INTERSCENSU TUS

TRANSLATUM A FRANCIS ATIBAH

IN LONDINIIS: EX OFFICINA
JACOBUS CROWLEY: 1611.

PRINTED FOR THE SOCIETY OF
THE FRIENDS OF LEARNED MEN.
BY JAMES CROWLEY: 1611.

IOA. ORTW. WESTENBERGII
DISSERTATIO
DE
IURISPRUDENTIA PAULI APOSTOLI.

Initis inter homines, per agros primum dispersos, siue ex naturali ad societatem appetitu, siue suadente vtilitate, siue etiam impellente necessitate, Societatibus Politicis, facile viderunt Prudentiores, multitudinem, in Populi vnius corpus, nulla re melius, praeterquam Legibus, coalescere posse; ac proinde Leges, ad constituerendam, firmandam, conseruandamque Ciuitatem, non tantum vtiles, sed et omnino necessarias esse.

Docet hoc ipsum Civitatis Corpus, quod in ordine consistit imperantium et parentium, et nihil aliud est, quam Corpus iure sociatum.

Docet ratio et conditio singulorum membrorum. Nullius enim hominis ingenium ita natura institutum est, vt, quae ad publicum hu-

A 2 manae

manae vitae bonum conferunt, sufficienter cognoscat; et si agnoverit, ut optimum id, quod nouit, semper agere possit ac velit. Ut leges Spiritus Ciuitatis et anima re^{et}e dicantur. Quemadmodum enim corpus sine mente, sic Ciuitas sine Legibus, suis partibus, ut nervis, ac sanguine, et membris, vti non potest; sed vti corpus exanime procumbit, sic Ciuitas, si Leges absint, non consistit. Iura publica certissima sunt Reip. et Ciuilis vitae vincula atque solatia, Potentum fre^{re}a, infirmorumque auxilia. Leges tuentur Ciues contra dominationem Magistratum, eorumque potestatem, quasi cancellis quibusdam, circumscribunt; nec minus Magistratibus sunt quasi murus, aduersus vulgi importunitatem et ferociam. Proposita namque sunt legibus vitiis supplicia, et praemia virtutibus; earumque metu humana coercetur audacia, tutaque inter improbos est innocentia. Docent Leges omnes Reip. Ciues domitas habere libidines, coercere cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere; adeoque vnic^{re}e tendunt ad ciuium salutem, ciuitatum incolumentem, vitamque ac coniunctionem hominum quietam et beatam; quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno, coercent (1).

Quin

(1) Ita Cic. de offic. III, 5. Püttr.

Quin et docet Legum tum utilitatem, tum necessitatem, quod ipsum Deum O. M. prudentissimum haud dubie Rerumpublicarum conditorem ac conservatorem, auctorem habeant. Qui licet per Mosen, aliosque sapientes, populum suum regere potuisset, Leges tamen in hac sua Rep. certas existere voluit, secundum quas Hebrei suas actiones dirigerent; Voluit, ut mandata sua in fronte ferrent et manibus, haberent in limine, earumque nunquam obliviscerentur; Voluit, ut earundem volumen semper apud se Reges haberent, neque inde ad dextram vel sinistram deflechterent. Cuius Legislationis fama ubi ad alios perlata est, in causa haud dubie fuit, ut antiquissimi Prudentes Legumque latores Leges inuentum Dei, ac munus, esse traderent, Legumque suarum originem ad numen aliquod, Iovem scil. vel Mercurium, vel Apollinem, vel Vestam, vel Cererem, vel Mineruam, vel Nympham Egeriam, referendam putarent.

Illud sane constat, nihil magis primis Rerumpublicarum conditoribus curae cordique fuisse, quam ut ciuitates fundarent legibus; Quare gloriam sibi aeternam compararunt, Minos apud Cretenses, Phoroneus apud Argiuos, Zamolxis apud Getas, Philolaus apud Thebanos, Phidion apud Corinthios; Solon apud Athenienses, Lycurgus apud Lacedaemonios, Charondas apud

apud Thurios, Zaleucus apud Locrenses, Romulus, quiq[ue] ei successit Numa Pompilius, apud Romanos.

Sed ex omnibus, quae vlo in populo, ab hominibus condita sunt iura, nullum neque praecclarius constitutum est quam Romanorum, neque diligentius; Qui aut omnia inuenierunt sapientius quam Graeci, aut accepta ab illis fecerunt meliora. Ut incredibile sit, quam sit omne ius Ciuale praeter Romanum inconditum ac pene ridiculum.

Ius enim illud non a vilibus, non a paucis, neque temere, sed a Regibus, Decemviris summa cum potestate creatis, Consulibus, primisque in Rep. viris, doctissimis, ac prudentissimis, introductum, promulgatum, et excultum est. Summo namque Iuris Ciuilis apud Romanos semper in honore fuit cognitio, atque interpretatio; vt plerique Iddi, tum sub libera Rep. tum sub Imp. summis honoribus et dignitatibus fuerint conspicui; interque eos non tantum fuerint Consules et Consulares, sed et Triumphales, et Praetorio Praefecti; Qui suo exemplo (vtut rarior haec nunc sit copula) docuerunt, et Arte et Marte simul inclarefcere datum esse, et posse in Rep. Senatores, aliosque esse, toga fagoque praestantissimos, et Pacis Bellique artibus eminentissimos;

mos; Iusque Romanum, innumerabiles diversissimosque casus, eorumque rationes et circumstantias, per tot secula, accuratissime examinantes ac perpendentes, firmarunt, expoliuerunt, et ad apicem culmenque perfectionis perduxerunt.

Vt etiam iam dudum ante Iustiniani tempora dignum visum fuerit, non Latinis tantum, sed et Graecis, ipsisque Iudeis et Christianis, vt in eo discendo, Iustrando, et scrutando, diligentem operam ponerent, seseque ita instruerent, vt et ipsis pro re nata usui esse posset.

Quos inter cum excellat PAULUS, non Patauinus ille, qui dicitur, Vlpiani coaeuus, cum eoque Papiniani assessor, Alexandri Imp. Consiliarius, ab eoque vel Heliogabalo ad ipsam Praefecturam prouectus, cuius plurimae Leges extant in Digestis, quique inter Ictos nostros est notissimus, sed Tarsensis, seu Apostolus, Gentiumque Doctor illuminatissimus, neque illa tamen eius inter Ictos, ab iis, qui vitas Ictorum conscripserunt, eorumque indicem seu Catalogum in publicum emiserunt, ratio habeatur, PAULUM TARSENSEM IURIS CONSULTUM hac hora, qua Fasces Academicci in futuri anni Rectorem Magnificum transferendi, verbaque mihi

mihi pro more facienda sunt, exhibere, eumque, quo (neque immerito) gloriati adhuc sunt Theologи, et nostro ordini vindicare, deque IURIS-
PRUDENTIA PAULI APOSTOLI agere
constitui.

Quod argumentum, uti forte non erit ingratum, sic vel tanti Viri, de quo acturi sumus, dignitatem et auctoritatem, beneuelas aures, faventesque animos, mihi, a Vobis, AUDITO-
RES HUMANISSIMI atque SPECTATIS-
SIMI, impetraturam, confido.

Vt autem hoc eo felicius procedat, de PAU-
LO nostro quaedam praemittenda sunt.

Et quidem PAULUM ⁽²⁾, qui ante Saulus dictus fuit, quantum ad genus attinet, Israelitam seu Iudaeum, e Tribu Beniamin, quantum vero ad patriam, Tarsensem, seu ex Tarso oriundum fuisse, ex iterata ipsius confessione vulgo notum est ^{a)}.

Quam

⁽²⁾ De PAULO Apostolo generatim conferri mere-
tur TI. HEMSTERHUSI Or., inter eius Oratio-
nes, vna cum IO. CHRYSOSTOMI duabus ora-
tionibus in laudem PAULI Apostoli, nec non L.
C. VALCKENARIJ tribus orationibus, rel. L. B.
1784. editas, pag. 3. seq. Püttm.

a) v. Act. XXI, v. 39. XXII, v. 3. Ep. ad Rom. XI, v. 1,
Ep. ad Philip. III, v. 5.

Quam ipse non obscuram seu ignobilem Ciliciae Vrbem, (quemadmodum alii Ciuitatem dicunt Ciliciae insignem, et valde illustrem, imo Ciliciae oculum) et quidem merito vocavit b).

Fuit enim Tarsus Ciuitas antiquissima, a Tarso, vti videtur (nam alii alias eius autores memorant) Iauanis Graecorum omnium Patris filio, et Iapheti nepote, primum condita c), ab Argivis vero postmodum renouata d); sita in Cilicia, ad amoenissimum, (quod medium vrbem interfluit, et in mare mediterraneum sese exonerat, periculoque vitae, quod ibi adiit Alexander Magnus e), nobile est) flumen Cydnum; amplitudine et incolarum frequentia insignis, ac potens, mercaturaueque laude florentissima; et, quo maxime caput extulit, Gymnasio, doctrinarumque studiis, celeberrima.

Tantum enim Tarsensibus rerum philosophicarum, et Disciplinarum, quas encycelia vocant, incessit studium, vt Athenas, Alexandriam, et si quis alias nominari posset locus,

vbi

b) Act. XXI, v. 39.

c) v. Gen. X, v. 1. et seqq. Ioseph. Ant. L. I.

d) v. Strab. L. XIV.

e) Curt. L. III, c. 5.

vbi Philosophorum, et artium ad humanitatem pertinentium, Scholae habebantur, non tantum aequauerit, sed et superarit; Virosque dederit studiis et Doctrina illustres; Philosophos, Antipatrum, Archidamum, ac Nestorem, Stoicos. Praeterea duos Athenodoros, quorum alter Cananita cognominatus Caesaris Augusti f) fuit Praeceptor, magnisque honores consecutus est; Alium Nestorem, qui docuit Marcellum Octaviae filiae Augusti filium, qui et Reip. praefuit; Hermogenem Sophistam, qui vixdum natus annos XVIII. artem scripsit Rheticam, at Senex literas prorsus oblitus est; Nec non Plutiadem et Diogenem, qui circum vrbes profecti Scholas dextre instituerunt; Grammaticos vero Ardemidorum et Diodorum, Poetamque Tragicum, eorum, qui Pleiades a septenario numero dicti, praestantissimum Dionysidem, aliosque g).

Cum itaque Tarsus tum mercaturaे, tum bonarum artium ac disciplinarum, emporium esset celeberrimum, plurimos ex circumiacentibus gentibus, ipsosque Iudeos, et inter eos Pauli nostri Parentes, in hanc vrbem confluxisse, nemo ut puto mirabitur. Maxime si quis animo perpen-

f) v. Lucian. in Macrob.

g) v. Strab. L. XIV. p. 673. et seqq.

perpendat, quam varios casus, et quanta rerum discrimina gens Iudaica, iam inde a dispersione Assyriaca et Babylonica subierit, praecipue sub imperio Graecorum, seu Regnorum ex imperio Alexandri Magni ortorum, maxime Syriaci; ut Iudei non tantum per terram Canaan, sed per totum fere (quemadmodum et hodie) terrarum orbem dispersi inuenirentur b).

Sed non tam mercaturaे, quam bonarum artium studiis strenue incubuit noster P A U L U S. Cum enim ingenio esset felicissimo, maximisque animi dotibus instructus, ac proinde ad Literarum studia aptissimus, non tantum in religione Iudaica, sed et humaniorum artium studiis nutrititus est.

Ea enim hisce temporibus iam inde a declinante Graecorum imperio adscita Iudeos tenebat confuetudo, ut Gentes alias, inter quas dispersi vivebant, imitati, literas ac in primis Philosophiam istarum Gentium exolerent, maxime si commoda occasio, qualis Tarsi inueniebatur, sece offerret.

Cui

b) v. Act. XI, v. 9. IO. II. 1. Petr. I, v. 1. Ev. Ioann. VII, v. 35.

Cui neque Parentes Pauli, neque ipsum
Paulum defuisse, testantur eruditionis (3) ipsius
speci-

(3) De eruditione PAULI Apostoli iudaica, non graeca, exstat C. G. THALEMANNI diff. Lips. 1769. qui fere I. A. ERNESTI vestigia sequitur; in Progr. de difficultat. N. T. recte interpretandi, quod legitur in eius Opusc. philolog. criticis p. 198. ita scribentis: Omnes Apostoli plebeii indoctique homines erant, praeter unum Paullum, sed hunc quoque Pharisaeorum, non Graecorum disciplinis institutum. Nam quod ille quaeram e Graecis poetis habet, id non magis argumentum est, poetas illos ab eo lectos fuisse, quam Virgilium Horatiumque legisse atque percepisse dixeris eos, qui sciant illa: Labor improbus omnia vincit: Optat ephippia bos, et similes peruvulgatos inter omnes versiculos, neque impedit, quo minus Chrysostomus eum adeo Graece ignorasse diceret, (ad Tit. II. Homil. 4.) quod tamen arbitror vel ex ipsis Lucae Actis refelli. (XXI, 25.) Certe, qui tam esset Pharisaeae disciplinae detitus, omnique modo aemularetur eius instituta, cuperetque conspicuum facere hoc studium suum, eum non credibile est disciplinarum et litterarum graecarum studiosum fuisse, quas illi, auctore Iosepho, auersarentur. „De iurisprudentia PAULI Apostoli praeter WESTENBERGIUM exposuit I. S. STRYK Halae 1695. Specimen iurisprudentiae PAULI Apostoli, quoad rem tutelarem, seu Obs. philologicas ad Galat. IV, 1. et 2. dedit A. C. MARCHEZ Lips. 1736. Prodiit etiam C. L. BAUER logica Paullina, vel notatio rationis, qua vtatur

PAU.

specimina, pro re nata saepissime exhibita, ex quibus eum linguae non tantum Hebraicae, sed et Graecae, aliarumque, nec non Philosophiae, peritum fuisse, manifestum est. Quis enim Graecae linguae rudem eum dicat, qui non Graece tantum locutus est, plurimaque scripsit, sed et Veterum Poetarum, Arati ⁱ⁾ scilicet, Menandri ^{k)}, ac Epimenidis ^{l)}, versus in numerato habuit, eosque eleganter ac feliciter applicare nouit? Quis Philosophiae Graecorum, aliorumque, expertem eum credat, qui cum Epicureis et Stoicis, aliisque, publice, tum in foro, tum in Areo-

P A U L U S Apostolus in verbis adhibendis, interpretando, definiendo, enuntiando, argumentando ex methodo vniuersa. Halae 1774. Quid, quod sunt, qui **P A U L U M** Apostolum etiam medicinam calluisse statuant, idque vel ideo, quod **T I M O T H E O**, ad stomachi imbecillitatem fulciendam, modicum vini usum praescripserit Ep. 1. cap. 5. v. 23. ut nihil iam dicam de potionc, quam invenisse fertur, itemque de emplastro **D. Petri et Pauli**, ad sanandas plaga corporis comparato. Vid. **D A N. V I N K** Amoenitates philologico - medicas (Trai. ad Rh. 1730.) p. 220. Sed, ni fallor, ita sentientes plus **P A U L O** tribuunt, quam ipse sibi summisce videtur. Püttm.

i) v. Act. XVII, v. 28.

k) I. Cor. XV, v. 33.

l) Tit. I, v. 12.

Areopago, omnium cum stipore, congregari, et de abstrusis quibusque dogmatibus Philosophicis, eum istis certare ausus est *m*)? Quis denique praceptoris Oratoriis (quibus tamen ad vanitatem et ostentationem minime abutendum ipse docet Paulus *n*) vacuum credit? qui vim Orationum ipsius, flumenque eloquii, exilis quidem pro imbecillitate laterum ac vocis, ast excitati, animatique, ac penetrantissimi, paulo attentius considerat: Quibus, cum de Iustitia et Continentia, et Iudicio futuro differeret, usque adeo Felicis affecit animum, ut expauefactus sit *o*), Festi autem, ut multas literas, seu eruditionem ipsius, eum ad insaniam adigere pronuntiaret *p*), et Agrippae Regis, ut propemodum sibi persuasum esse, ut Christianus fieret, neutquam dissimularet *q*).

Sed non sufficit Paulo in studiis profecisse sub magistris domesticis seu Tarsensibus, sed pro more Graecorum, qui studiorum causa etiam exteriores adire solebant, Patriae religionis ritus ac insti-

m) v. Act. XVII, v. 17. et seqq.

n) 1. Corinth. II, v. 4.

o) Act. XXIV, v. 25.

p) Act. XXVI, v. 24.

q) Act. XXV, v. 28.

instituta accuratius perscrutaturus, Hierosolymam sese contulit, ubi eo tempore omnium nationum Iudaismo addictarum, et inter has etiam Cilicum, Scholae erant; quia vero Sectae Pharisaeorum, insigni veri rectique specie, quam prae se ferebat, deceptus, sese addixerat ^{r)}, Phariseorum, imo totius Senatus ista aetate Principi, ac Legis Doctori Clarissimo, quem totus Populus in pretio habebat ^{s)}, Gamalieli sese in disciplinam tradidit ^{t)}; Sub quo, quaecunque ad intellectum Legis, et Theologiae Hebraicae, pertinebant, audiuit, Legesque Mosaicas non tantum rituales, sed et morales, et Politicas, exppositas accuratius examinavit, eosque in studiis fecit progressus, ut inter aequales non tantum emineret, sed et ad munus inquisitionis fallo creditae nouae haereseos, praeceteris proiectus sit, idque ita obierit, ut Iudeis admirationi, Christianis vero terrori esset ^{v)}.

Vt adeo studiis non tantum Literarum, et Philosophiae, sed et Iuris fuerit instructissimus, neque tantum Mosaici seu Hebraei, sed et Naturae, et ciuilis quoque Romani.

Dum

^{r)} Ep. ad Philip. III¹, v. 5.

^{s)} v. Act. V, v. 34.

^{t)} Act. XXII, v. 3.

^{v)} v. Act. IX, XXII, XXVI.

Dum enim egregiam dedit operam Legibus, non tantum Ritualibus, sed et Moralibus, et Politicis, non potuit non imbui Iure simul Romano, quod ex Iure Naturae et gentium in plerisque deductum, cum iure diuino morali et politico, in plerisque conuenit. Quin et ex ipso Iure Diuino, quod primum ad Aegyptios, inde ad Graecos, in primis ad Athenienses, et ab iis peruenit ad Romanos, in multis sumtum est.

Imo Paulum in Ius Romanum etiam ex professo incubuisse, et inquisuisse accuratius, nem o non intelliget, si quis probe consideret, Iuris Romani non tantum, vti Imperii, famam et gloriam totum iam tum temporis peruagatam esse Orbem terrarum, sed et Iudeam, iam sub Augusto, misso in eam Coponio, in Prouinciae formam redactam ^{x)}, Legibusque proinde gubernatam Romanis; imo Paulum Ciuem fuisse Romanum, quem neutiquam decebat Iura ignorare Romana.

Quomodo consecuti sint Parentes Pauli Ius Ciuitatis Romanae ⁽⁴⁾, inter Eruditos non

con-

^{x)} v. Ioseph. d. Bell. Iud. L. II. C. XI. in f.

(4) De PAULI Tarsensis ciuitate Rom. praeter WITZIUM, ab ipso WESTENBERGIO infra laudatum, scripsit IO. ARNTZENIUS, citatus a DAN. VINKIO l. c. p. 169. Pättm.

conuenit. Sane non sicut Tarsus, ut quibusdam
visum est, Colonia Romana. Quod minime in-
ferri potest ex eo, quod teste Dione Cassio ^{y)}
etiam Iuliopolis vocata sit. Non enim ait Dio
coloniam eo a Caesare deductam, neque Caesa-
rem Tarsum Iuliopolin nominasse, sed tantum
tradit Tarsenses adeo Caesari priori, ac eius gra-
tia etiam posteriori fuisse, ut ipsi Tarsenses vr-
bem suam pro Tarso Iuliopolin nuncuparint.
Quemadmodum et postea eadem Vrbs, simili
haud dubie ratione, aliorum queque Imperato-
rum, Augusti scilicet, Hadriani, Seueri, Anto-
nini Caracallae, Macrini, et Alexandri Seueri,
nomina adsumvit, indeque Augusta, Hadriana,
Seueriana, Antoniana, Macriniana, et Alexan-
dri, in variis et selectis Caesarum nummis dicta
inuenitur ^{z).} Neque id probatur ex inscriptio-
ne nummi, sub Caracalla percussi, a Cl. Patino
exhibita, quippe quae non Coloniae, sed Ελευ-
θερας seu Liberae tantum mentionem facit, ut
demonstrauit, qui et ipse auctoritate Patini se-
ductus id ante credidit, vir illustris Ezechiel
Spanhemius ^{a).} Contrarium recte colligitur ex

loco

y) L. XLVII.

z) v. Ez. Spanh. Orb. Rom. Exerc. II. c. XI, p. 344.
345.

a) Orb. Rom. Exerc. I. c. 17. p. 141. add. Morell.
Tab. IV. Spec. Cellar. P. II. Diff. XIV. §. 24.

loco Vlpiani, quo, de Coloniis Iuris Italici ex professo agens, in Cilicia tradit Colonias esse Selununtem et Traianopolin *b*). Qui vtique non omisisset Tarsum seu Iuliopolin, totius Ciliciae metropolin, si et ipsa Colonia fuisset. Et si vel maxime Colonia fuisset temporibus Imp. Caracalla, argumentum tamen ab iis ad tempora Pauli minime procederet, neque ex Iure Coloniae ius ciuitatis Romanae euinci posset, quandoquidem Coloniae diuersi iuris fuere ac conditionis diversae *c*).

Sed nec Municipium (quod Colonia est praestantius) *d*) fuit, vti voluit Baronius *e*), Hein-
sius *f*), aliisque. Auctoritas certe versionis Latinae, qua Paulus non ignotae Ciuitatis Muni-
cipis dicitur *g*), qua inter alia nititur Baronius,
perexigui momenti est. In Graeco textu habe-
tur πολίτης, quod in genere ciuem denotat.
Quod cur interpres ita verterit, vt ex eo Muni-
cipem

b) L. I. §. 11. ff. de censib.

c) v. Ill. Spanh. Orb. Rom. d. I. c. 9.

d) v. Gell. L. VI. c. 13.

e) Ann. Eccl. ad A. C. 58. p. 575.

f) Exerc. Sacr. L. v. c 13.

g) Act. XXI, v. 39.

cipem fecerit, ipsius est docere. Nisi forte Municipem eo sensu acceperit, quo Vlpianus notat Municipes abusue dici suae cuiusque ciuitatis Ciues *b)*. Triumuiros, et praecipue M. Antonium, Tarsenses honore Municipii ornasse, nusquam traditur. Tarsensisbus a Triumuiris spem factam, fore, vt pro iis, quae amiserant, aliquid reciperent, refert Dion Cassius *i)*, quin et Antonium, permisisse vt Tarsenses liberi essent et immunes tributorum testatur Appianus *k)*. Sed vel Triumuiros, vel Antonium Ius Municipii vel Ciuitatis Romanae in Tarsenses contulisse, nullus memoriae prodidit. Speciosius est, quod tum Baronius, tum maxime vrget Cl. Heinicus, Tarsum in bello Ciuali studuisse primum partibus I. Caesaris, ac deinde Octauii, adeo quidem, vt in Iulii memoriam et Augusti gratiam (vti iam dictum) urbem suam Iuliopolin nuncuparint; Eamque ob causam, maxime, cum et ea occasione a C. Cassio male esset multata. Augustum Tarsensisbus libertatem non tantum, ac plenissimam a tributis immunitatem (quod precibus Athene-dori praceptoris Augusti datum tradit Lucia-

B 2

nus)

b) L. I. §. 1. ff. ad Municip.

i) L. XLVII.

k) de bell. Civ. L. v.

nus) *l)* sed et ipsam Ciuitatem Romanam donasse. Idque magnifice non minus quam aperte ostendere Dionem Chrysostomum *m)*, dum ait, Tarsensibus obtigisse, ut Caesarem secundum haberent faventem et familiarem; Eumque operam dedisse, ut maiora ipsius in eos essent beneficia, quam calamitates eius causa acceptae; ac proinde eum omnia, quae quis amicis vere ac sociis praestare posset, in Tarsenses contulisse, terram sive agrum, liberum videlicet, (ita interpretatur Cl. Heinsius) ac sic immunem, Leges, quae de libertate municipibus conferri solitae, Honorem, ipsum Ciuitatis nempe ius, eximium in primis ac praeclarum, Potestatem fluuii, marisque vicini. Sed non tuto tamen ex iis concludere licet, Tarsum ab Augusto Ciuitate Romana donatum esse. Licet enim Augustus libertatem et immunitatem Tarsensibus dederit, omniaque in eos contulerit, quae amicis et sociis praestari possunt, Terram scilicet seu agrum, Leges, Honorem, Potestatem fluuii marisque vicini, nondum tamen Ius Ciuitatis Romanae ex iis extrahi potest. Liberae in vicino terrarum tractu factae sunt, Iosepho teste *n)*, Dora, Gaza, Ioppe, aliaeque,

l) in Macrob.

m) Tarfic. Post.

n) de bell. Iud. L. v. c. 5.

que, non autem ciuitate Romana decoratae sunt. Carthaginensibus confecto bello Punico secundo concessum, vt Liberi legibus suis viuerent, quas Vrbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent, vti auctor est Liuuius *o*), sed neutiquam Ciuitas data est Roma- na. Quemadmodum et postmodum Macedoni- bus, referente eodem Liuio *p*), simili indulgen- tia pax data, vt Liberi essent Macedones, haben- tes vrbes easdem agrosque, vtentes Legibus suis, annuos creantes Magistratus. Quod tamen ad vin- dicandum Ius Ciuitatis Romanae ipsis minime profuit. Per Honorem quoque Ius Ciuitatis in- telligendum esse, nulla idonea au^toritate ostendit- ur. Plura Honorum sunt genera; Collatus etiam ab eodem Augusto, vt idem docet aurei oris Dio, in Tarsenses Honor Primatus totius gentis, et dignitas Metropoleos; vt adeo per Honorem vel dignitas Primatus seu Metropoleos, vel Honor Αυτορομίας seu Πολιτείας i. e. propria- rum Legum ac Magistratus, seu pristinae Reipu- blicae formae, et a Iurisdictione Romani Praesi- dis immunis, significari videatur *q*).

Acce-

o) L. XXX. c. 37.

p) L. XLV. c. 29.

q) v. Illustr. Spanh. Orb. Rom. Exerc. I. c. 17. p.

I4I. Exerc. II. c. 12. p. 357. et seqq.

Accedit, quod Augustus Ciuitatem Romanam parcissime dederit, auctore Suetonio ^{r)}, ac proinde eum Ius Ciuium Romanorum in Uniuersam Ciuitatem Tarsensem, omnesque eius Ciues contulisse, sine sufficienti testimonio statui nequeat.

Nusquam denique, quod multis creditum, Paulus coniunctim dixit, se Tarsensem et Romanum esse, vt, quia Tarsensis fuit, colligi inde possit, ergo etiam Ciuem fuisse Romanum. Tarsensem fese esse bis dixit ^{s)}, sed minime inde concludit, se Romanum esse; Quemadmodum cum Romanum se dicit, ex eo non infert se Tarsensem esse ^{t)}. Vbi Romanum fese dicit, nulla Tarfi, vbi Tarsensem, nulla Romae mentio. Tantum abest, vt Ius Ciuitatis Romanae ex Tarso arcessat. Tribunus sane vbi ex Paulo intellexit eum Tarsensem esse, nequaquam percepit eum Romanum esse, quod tamen vix potuisset ignorare, si publice constitisset, nobilissimam illam ac celeberrimam totius Ciliciae Metropolin Iure Ciuitatis Romanae ab Augusto ornatam fuisse: ignorasse autem id eum inde manifestum est, quod quam-

^{r)} In Aug. C. XL.

^{s)} Act. XXI, v. 39. XXII, v. 3.

^{t)} v. Act. XVI, v. 37. XXII, v. 25.

quamuis Paulum Tarsensem esse iam sciret, flagris tamen eum explorari iusserit, a quo sibi metuens destitit, simulatque Romanum esse cognouit v).

Vt non sit verisimile omnibus Tarsensisbus ab Augusto ius datum esse Ciuitatis Romanae, sed magis probabile videatur, quod sagacissimus Scripturarum interpres statuit Caluinus x) eumque secutus Magnus Grotius y), nec non mutata sententia Clarissimus Witzius z), vt et Eruditissimus Cellarius a) aliquem ex Pauli Maioribus ob bene de Romanis in bellis forte Ciuibibus merita, vel quamcunque aliam ob causam, ius ciuitatis Romanae consecutum esse. Quemadmodum hoc ius, ob bene facta, ad intercessionem saepe Proconsulm vel Praesidum, tum in alias, tum in ipsis Iudeos, non semel collatum est b). Vti manifestum est ex exemplo Antipatri, Patris Herodis,

v) Act. XXI, v. 39. XXII, v. 29.

x) ad Act. XXII, v. 28.

y) Ad d. I.

z) Disquis. de Paul. Tarsen. Civit. Roman.

a) P. II. Diff. XIV. de Paul. Ap. Rom. Civ. §. 25.

b) v. Cic. pro Balb. c. 9. 22. Plin. Ep. L. X. Ep. 4. 6. 105.

rodis, ex Idumaeo Iudaei, quem, quod res strenue in Aegypto gesserat, Ciuitate Romana et immunitate donavit C. Julius Caesar c), nec non Iosephi, qui quamvis Hierosolymitanus esset, et sacerdotalis generis, eodem honore a Vespasiano affectus est d).

Verum enim vero quomodo cunque demum Pater vel Parentes Pauli ius acceperint Ciuitatis Romanae, illud certum est, Paulum non ad tempus id finxisse, sed reuera Ciuem fuisse Romanum, neque grandi pecunia, vti Tribunum, cum quo ipsi ea de re sermo intercessit, aliosque e) id ius sibi coemisse, sed talem natum esse f). Quis autem mente sua concipiat Ciuem Romanum, doctum, eruditum, prudentem, eundemque Iuris Romani imperitum? solebant sane Romani ad ea fere usque tempora, ad exemplum Spartanorum, qui ex Lege Lycurgi Πάτρων memoriae mandabant, ab ineunte aetate Leges XII. Tabularum, quae fons et origo sunt totius Iuris

Roma-

e) v. Ioseph. Ant. L. XIV. c. 15.

f) v. Ioseph. in vita sua. add. Phil. Iud. Leg. ad Cai. p. 1014.

e) v. Cic. ad Att. L. XIV. Ep. XII. Salvian. de Gub. div. p. 108. Cellar. d. Diff. XIV. §. 18.

f) Act. XXII, v. 28.

Romani, posteaque Edictum Praetoris, tanquam necessarium carmen ediscere g). Neque Ciues et subditos Iura ignorare Legislatores permittunt. Imo Paulum nostrum iuris Romani minime fuisse ignarum, sed Ius Ciuium Romanorum percalluisse, ex eo manifestum est, quod, vbi res exigebat, ad innocentiae et bonae causae praesidium, Legibus noquerit vti Romanis, et illis quidem, quae pro salute Ciuium Romanorum maxime latiae erant, Valerii scilicet, Porcia, et Sempronii; Quibus Ciuibus prospectum non tantum, ne iniussu populi in caput eorum animaduertere liceret, sed et Virgae a tergo etiam amotae sunt b). Cum enim Paulus una cum Timotheo iussu Magistratum Philippensem, sine praevia cause cognitione, virgis caesus et in carcerem coniectus esset, ab iisque sequenti die dimitteretur, prouocauit (quod priori die vel ob tumultum commode fieri non potuerat, vel per singularem Dei directionem, ut conuertendi custodis carceris cum omni domo sua esset occasio, factum non erat) ad ius Ciuitatis Romanae, et, ne noxii et merito caesi viderentur, non ante desstitut, quam ipse Magistratus grauem poenam metuen-

g) v. Cic. de Leg. L. II. c. 23. L. I. c. 6.

b) v. Val. Max. L. IV. c. 1. Liv. L. X. c. 9. Cic. pro C. Rabir. c. 4. in Verr. L. v. c. 63.

metuentes, eumque ob id precantes, ex carcere eos educerent, et, vt ex vrbe excederent, rogarent *i)*: Similiterque cum postmodum occasione tumultus Hierosolymitani Tribunus militum, iussisset, vt in castra duceretur, et flagris in eum inquireretur, lorisque iam admotus esset, ne seruilem in modum caederetur, adstantem rogauit Centurionem, Num hominem Romanum, et quidem indicta causa, flagellare liceret *k)*? eodem prorsus modo, quo ad ius Ciuitatis prouocabant Romani; Si quis enim contra ius Ciuium Romanorum afficeretur, virgisque caederetur, clamare solebat: Romanus sum *l)*! Quae vox tantum venerationis habuit, vt et inter Barbaros saluti fuerit, apud Romanos vero tantum valeret, vt, nisi capitis ob hoc cum Verre postulari vellet, ab omni vi et iniuria, vt et eodem tempore Tribunus, statim desisteret *m)*.

Sed agite Aud. Hum. ad rem ipsam accedamus proprius. Quin Iurisconsultus, si non sensu illo strictiori, quo a M. Tullio Cicerone describitur,

i) v. Act. XVI, v. 12. et seqq.

k) Act. XXII, v. 25.

l) v. Cic. in Verr. L. v. c. 62. et seqq.

m) v. Cic. d. I. c. 57. 65.

tur *n*), qui Legum ad respondendum, agendum, et cauendum est peritus; sensu tamen latiori dici possit, qui Ius callet Naturale, quique Ius intelligit Ciuale, tum Publicum, tum Priuatum, nemo ut puto negauerit. Quod si itaque per species porro ostendi queat, Paulum Iuris, tum Naturalis, tum Ciuilis, tum Publici, tum Privati, apprime scientem fuisse, ictis eum quoque recte annumerari, ac vindicari, simul euincetur.

Et quidem quantum ad Ius Naturale attinet, nullus est, qui id tam clare, aperte, ac perspicue, docuit, exposuit, et inculcauit, quam Doctor Gentium PAULUS noster TARSENTI-
SIS. Hic enim docet ea procuranda esse, quae honesta sunt in omnium hominum conspectu *o*). Hic docet patere iram Dei aduersus omnem impietatem et iniustitiam hominum, qui veritatem iniuste detinent. Quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis, quippe quod Deus iis manifestum fecit. Quandoquidem ipsius inuisibilia, iam inde a condito mundo ex iis, quae fecit, mente perpenfa peruidentur, aeterna videlicet eius tum potentia tum diuinitas: ad hoc ut sint inexcusabiles *p*). Hic docet, delinquent-

n) L. I. de Orat. c. 48.

o) Ep. ad Rom. c. XII, v. 17.

p) Ep. ad Rom. c. I, v. 18, et seqq.

linquentes et contra ius Naturae committentes agnoscere ius Dei, eosque qui talia faciunt morte dignos esse ^{q).} Hic denique docet Gentes, quae Legem non habent, natura, quae Legis sunt, facere, Legemque non habentes sibi ipsis Legem esse. Ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis, vna testimonium reddente eorum conscientia, et cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendantibus ^{r).} Ex quibus dari Ius aliquod Naturale, seu Legem Dei non scriptam sed hominibus innatam, summamque rationem in natura insitam, ut M. T. Cicerro loquitur. ^{s)}, quae iubet ea quae facienda sunt, prohibetque contraria, contra quam voluit Carneades, Archelaus, Aristippus, Epicurus, Pyrrho, Horatius et superiori seculo Hobbesius, aliquique, et in quo fundamentum eius ponendum sit, cuiilibet manifestum est, ut ad rectae rationis dictamen attendens, nisi vim sibi inferre velit, id ipsum negare nequeat.

Creatus est homo, non ut caetera animalia, quae natura prona ac ventri obedientia fixit, solo corpore praedita, sed, quo a bestiis maxime differt, animam seu rationem a natura habet,
men-

^{q)} d. c. I. v. 32.

^{r)} Rom. II, v. 14. 15.

^{s)} de Leg. L. I. c. 6.

mentemque datam, et acrem, et vigentem, celeritateque multa simul agitantem: quae omnem virtutem accipere possit; ingenitasque sine doctrina noticias paruas rerum maximarum ^{z)}, principia et notiones, seu semina et scintillulas quasdam ad intelligendum habiles, tantaeque certitudinis ac veritatis, ut, licet quis omni principiorum cognitione se vellet exuere, quaedam tamen mansura sint, quae nullo modo negari possint. Quarum ope mens humana et causas rerum, et consecutiones videt, similitudines transfert, disiuncta coniungit, et cum praesentibus futura copulat ^{v)}. Ut recte adhibita ratio cernat, quid sit optimum, quid turpe? quid honestum? neque decipiatur in eo, neque decipi possit. Cum itaque homo Numen Diuinum seu Ens perfectissimum, seseque ab eo dependentem concipit, non potest non Deum simul tanquam summum humani generis moderatorem, et Legislatorem, vitro intelligere; Cuius voluntati ceu Legi parendum sit, quique homines creaturas suas et subditos ad istam obseruandam pro imperio astrinxerit; Ac proinde ea, quae ex innatis sibi principiis Deum velle percipit, sibi facienda, quae vero Deum nolle sentit, non facienda, sed omit-

^{z)} Cic. de Fin. L. II. c. 14. et L. V. c. 21.

^{v)} Cic. de Fin. d, L. II. c. 14.

omittenda esse, et si contra fiat, id contra ius Dei committi, per necessariam consequentiam simul perspicere.

Atque hoc modo Gentes, quae Legem, in tabulis lapideis scriptam, et in monte Sinai promulgatam, non habent, natura tamen, i. e. naturali ratione dictante, faciunt ea quae Legis sunt, seu quae Lex scripta iubet, eoque ipso ostendunt, opus Legis, seu id quod lege iubetur, et tabulis lapideis insculptum erat, tabulis cordis sui inscriptum esse. Per τὴν φύσιν enim, seu naturam, ipsum naturalem fontem, seu reūnam rationem hominibus innatam intelligi, ex ipsis verbis, si quidem paulo penitus inspiciantur, liquido constat. Paulus enim τὴν φύσιν seu Naturam constituit agendi principium, cuius vi Gentes ea faciunt, quae Legis sunt (5). Tum oppositionem instituit inter Iudeos, Lege instructos promulgata, et Gentiles, qui solo naturae instinctu feruntur. Et denique id ipsum confirmat argumento validissimo, testimonio scilicet conscientiae, dum subiicit, vna testimoniū reddente ipsorum conscientia, et cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendantibus.

Con-

(5) Conf. I. G. WALTHERI progr. de primis naturae, iuris naturalis fontibus, Vit. 1750. Puttm.

Conscientiae enim tanta in vtramque partem vis est et efficacia (6), vt neque timeat, qui nil commiserit, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint x). Eiusque tener usque adeo in animis etiam improborum sensus est, vt celare nequeant conuictos esse, in Legem naturae peccando, illum offendit, cui in animos hominum imperium est, qui timendus sit etiam, vbi ab hominibus metus non impendeat. Potest nocenti contingere, (vti egregie Seneca y) vt lateat, latendi fides non potest. Latere non prodest peccantibus, quia latendi etsi facultatem habeant, fiduciam tamen non habent. Tuta scelerata esse possunt, secura non possunt. Prima et maxima peccantium poena est peccasse. Sed et secundae poenae premunt ac sequuntur, timere semper, et expauescere, et securitati difidere. Multos fortuna liberat poena, metu neminem, quia infixa nobis eius rei aduersatio est, quam natura damnauit. Ideo nunquam fides latendi fit latentibus, quia coarguit illos conscientia, ipsosque sibi ostendit. Ut et Tyranni, monstra illa hominum, Diuini Numinis contem-

tores

(6) De vi conscientiae nonnulla notaui in opusci, iur. crimi, pag. 331. *Fürtm.*

x) Cic. pro Mil. c. 23.

y) Epist. 97.

tores maximi, pleni sunt formidinis per omnem vitam, pleni moeroris et cruciatuum *a*), et ad minima tonitrua ac fulgura contremiscere saepe ac caput obuoluere, ad maiora vero sub lectum sese condere, soleant *a*). neque fortuna neque solitudines, eos, contra tormenta pectoris, et conscientiae morsus, protegere possint *b*).

Quam Pauli nostri Doctrinam, si Iuris Naturae Doctores hodierni ipsa rationis trutina probe expendissent, supersedere sane potuissent animosis illis, ac pertinacibus, super fundamento Iuris Naturae contentionibus, quibus vix aliud certamen grauius vidit Respublica Literaria. Longum foret, neque hora tantum, sed et dies deficeret, si omnes Clarissimorum Virorum de Fundamento Iuris naturae sententias exhibere, et ad iustum examen reuocare vellemus. Sed est tamen, de quo inter diuersa sentientes fere conuenit, Fundamentum scilicet illud tale esse debere, ut omnia Iuris Naturae Praecepta compendio in se complectatur, eaque ex eo facili ac perspicua subsumptione deduci, et in id resolui possint, cuiusque veritas ex solo ratio-

a) v. Plat. L. 9. de Rep.

a) V. Sueton. in Calig. c. 51.

b) V. Tacit. L. VI. Ann. c. 6.

rationis lumine, innotescat, et a quolibet, quamcunque tandem circa religionem habeat persuasione, admittatur (7). Quod utique aperte demonstrat Paulus in recta ratione, homi-

(7) De primo iuris naturalis principio magna est inter eruditos dissensio. Vid. A. I. DORNMEYER de principio primo iuris naturae, Halae 1707. I. M. DAHM de vno, vero et adaequato iuris naturae principio, Mogunt. 1649. et B. H. REINOLDI Or. de iure naturae, qua ostenditur, illud ex ordine et fine rerum conditarum esse collendum, in eius opusc. iuridicis p. 477. Mihi quidem recte facere videntur, qui cum TREUERO ad PUFFENDORF. p. 143. ius naturae (strictè sic dictum) hac regula *cole pacem externam* metiuntur, in eoque non nisi de officiis, quae quisque aliis debet, perfectis exponunt. Magnopere tamen falleretur, qui praecepro *perfice te minus*, quam illi *ius suum cuique tribue obtemperandum* existimat. Sane officia honesti hand' dereriora sunt officiis iusti, vt idem monuit TREUERUS l. c. p. 379. Bene F. G. PESTEL in fundament. iurisprud. natural. (Lugd. Bat. 1774.) p. 180. Si quaeratur enunciatio prima, in qua legum ad ius naturae pertinencium fundamentum ponatur, hanc putamus asseri posse: Sic dirige actiones tuas liberas, vt cum statu pacato (quiete, securitate, pace), generis humani consentiant. „Hoc qui negligunt, officiaque perfecta ab imperfectis haud satis secernunt, ii in difficultates, quibus deinceps eluctari nequeunt, incidunt necesse est. *Pūttm.*

nibus innata, seu voluntate summi Legislatoris, quam homines per dictamen rectae rationis percipiunt, situm esse, omnesque ad dictamen rectae rationis attendentes vltro intelligunt. Difficultatem fane non habet, quod dicitur, Fundamentum Iuris Naturae in recta ratione ponni non posse, eo quod dictamen rectae rationis Lex, quippe quae a superiori descendit, dici nequeat. Neque enim verba captanda sunt, vti eleganter monet alter Paulus *c)*, sed qua mente quid dicitur animaduertendum. Ipsum dictamen rectae rationis per se Lex non est, sed per dictamen rectae rationis Ius intelligendum, quod recta ratio dicit. Recta ratio non consideranda tanquam causa huius iuris principalis, sed tanquam medium, per quod Deus O. M. omnibus hominibus id notum fieri voluit. Neque etiam metuendum fundamentum hoc lubricum et periculosum esse, quia, quot capita sunt, tot sint sensus, et recta ratio sua cuique propria. Vti enim ipsa recta ratio, sic et dictamen rectae rationis hominibus innatae, apud omnes moratores, rectaque ratione vtentes, et ad eam attendentes, idem est; Vti ex summis Iuris Naturae Capitibus, de Deo colendo, semet ipso conseruando, Innocente non laedendo, Fide data seruanda, aliisque similibus,

c) I. pen. ff. ad exhib.

libus, quae quilibet in semet ipso deprehendit, apertum est. Quod si quidam, dum vel ad dictamen rectae rationis non attendunt, vel etiam eam in fraudem malitiamque conuertunt, scientesque et volentes non sequuntur, mentis sint efferatae, et morbo distortoque animo, id ius Naturae non mutat, neque humanae naturae conditio ex eo aestimanda est: non magis quam melli neganda dulcedo, aliisque rebus sapor naturalis, licet aegrotantibus saepe aliud videatur. Quid Naturale sit? spectandum in his, quae bene secundum naturam sese habent, non in depravatis d).

Transimus itaque, (AUS. SPECT.) ad Ius Publicum, quod ad statum Reip. spectat primario; Cuius summam iterum exhibet serioque inculcat PAULUS noster TARSENSIS, dum docet omnem animam potestatibus supereminentibus subiectam esse; Non esse potestates nisi a Deo; Adeoque eum, qui Potestati obfisit, ordinatio- ni Dei obfistere. Potestatem Dei ministrum esse, neque frustra gladium gerere, sed vindicem ad iram esse ei, qui male fecerit. Neque tamen solum propter iram, sed et propter conscientiam necesse esse, ut homines subiecti sint;

C 2 eam-

d) Arist. I. Pol. c. 5.

eamque ob causam tributa etiam soluenda esse ^{e).}

Ius publicum, auctore Vlpiano ^{f)}, consistit in Sacris, Sacerdotibus, et Magistratibus, seu administratione Pacis et belli, omnibusque, in quibus Regiminis publici causa vertitur. Ac proinde in primis versatur circa Imperium summatum potestatum. Respublica enim in ordine consistit Imperantium et parentium. Sine imperio nec domus ulla, nec Ciuitas, nec Gens stare potest ^{g).} Nam ut corporibus animus, sic Regum, sic Imperatorum, sic Magistratum imperia Ciuibus praesunt; Quorum simul obsequium requiritur, ut nisi imperium, ab vniuersis simul partibus, obsequium accipiat, salutem suam ciuitas tueri nequeat ⁽⁸⁾, Quae in ordinata

e) Ep. ad Rom. 13. v. 1. et seqq.

f) L. I. §. 1. ff. de I. et I.

g) Cic. III. de LL. c. 1.

(8) Tolle imperium, et videbis homines inter se vivere piscium more, quem eleganter describit ORPİANUS Lib. II. ἀλιευτικῶν, veribus graecis, quorum sententia latine expressa haec est:

Quippe omnes inter se sunt inimici
In festisque natant: semperque potentior alter
Devorat imbelles: hic semper fertur in illum.

nata imperandi obediendique concordia ciuium maxime consistit. Quod si vero quis obsequium detrectet, Societatemque Politicam, contra Leges et Mandata superiorum, turbet, merita poena coercendus est. Respublica enim tum optime gubernatur, cum iniusti dant poenas, quosque Natura et Lex in officio retinere non potest, magnitudine poenae maleficio submouentur b) (9).

Inevi-

Exitium intentans vniue sit alter in escam,
Mutua nam cunctos perdendi dira voluptas
Exercet, nunquam ut videoas se dedere somno
Pisces, quin magis intentos oculis animisque
Acriter inuigilare, timent, ne fortior instans
Se voret; ast ipsi rapiunt comeduntque minores.

Vis exemplum? certe haud diu quaerendum erit.
Facile inuenies terram, vbi

Procax libertas ciuitatem miscuit,
Frenumque soluit pristinum licentia.

Ceterum, quomodo Anarchia differat ab interregno,
ostendit I. G. BERNHOLD in exercitat. histor. de interregno magno, non interregno, Altorfii 1751.
Püttm.

b) v. Plat. Lib. de Philosoph.

(9) Ita Cic. pro Rosc. Amerin. cap. 25. Quanto maiores nostri sapientius? qui cum inteligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audet.

Inevitabilis etiam in Rep. est Tributorum exactio *i*), in quibus nerui sunt Reip. *k*) et rerum agendarum; Ut non aliter conseruare liceat Remp. nisi praestationes importentur in publicum; ex quibus et militares nutriuntur copiae, vt resistatur hostibus, et per agros et vrbes aguntur excubiae; Perfruuntur item reliqui ordines attributis sibi salariis; reparantur quoque muri et vrbes; denique omnia alia proueniunt, quae communem subditorum utilitatem concernunt *l*). Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt *m*). Imo dissoluitur imperium, si fructus, quibus Resp. sustinetur, tolluntur *n*).

Quo-

audacia, supplicium in parricidas singulare excoigauerunt, vt, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio summonerentur. —,, In eadem sententiam SOLON: In ea civitate optime viuitur, in qua boni honore, et contra in qua mali suppliciis afficiuntur.,, *Fürstem.*

i) N. 8.

k) L. I. §. 20. ff. de quaest.

l) N. 49. c. 2. N. 161. c. 2.

m) Tacit. 4. Hist. 74

n) Tacit. 13. Ann. 50.

Quomodo itaque Paulus noster magis scite Iuris Publici potuit ostendere peritiam, quam ea docendo capita, circa quae Ius publicum maxime versatur? Quid magis aptum ad praecauendos tumultus, seditiones, et rebelliones, in quas tum temporis animi propendebat Iudeorum, aliorumque, qui persuasum sibi habebant, nulli, nisi Regi ex fratribus suis lecto, deberi obsequium *o)*; alioue religionis praetextu, iussis ac mandatis Imp. Romanorum obedire detrectabant? Quidue magis conueniens inculcari poterat, quam omnem animam supereminenteribus potestatibus, qualescumque illi fuerint, siue e fratribus, siue extranei, siue verae, siue falsae religioni addicti, siue pii et iusti, siue impii, iniusti et duri, qualis tum temporis Nero erat, dummodo contra ipsius summi imperantis ius nihil directe statuatur *p)*, subiectam esse? Quid ad demonstrandum efficacius proferri potuit, quam supereminentes potestates ordinationem Dei esse, a quo omnia imperia reguntur? Eosque, qui potestatibus resistunt, Deo resistere, adeoque et Iudacis, qui justo Dei iudicio Reges ex suis iam dudum habere desierant, aliisque, qui sub imperium Romanorum redacti erant, imperato-

o) v. Deut. 17. v. 15.

p) v. Act. IV. v. 19. v. §. 29.

ratoribus Romanis, qui summae rei tum prae-
erant, etiam propter conscientiam, parentum
esse? Quid ad deterrendos contumaces magis va-
lidum est, quam metus poenarum, earumque
Iustitia? quam simul ostendit, dum docet, sum-
mas Potestates ceu Dei ministros gladio, qui tum
signum Iuris vitae necisque erat *q)* armatos esse,
neque eos gladium frustra gerere, sed vindicem
esse ad iram ei, qui male fecerit. Quid denique
Imperio non tantum Romano, sed omnibus Re-
bus publicis, magis salutare subiicere potuit,
quam ex ipsis Seruatoris nostri sententia, ne de
eo iterum dubium moueretur in posterum, cen-
sum Caesari, Tributa summis potestatibus, ad
vus publicos, soluenda esse?

Si Ius Priuatum perlustremus, Aud. HUM.
in signia in eo occurunt Capita de Tute lis, Te-
stamentis, Successionibus, Constituto, Iudiciis
et Appellationibus.

Impuberis in Tutela esse naturali iuri con-
veniens est, vt is qui perfectae aetatis non sit,
alterius tutela regatur, vt rectissime monet Imp.
Iustinianus *r)*; Inter omnes enim constat fragile
et

q) v. Tacit. Hist. L. III. c. 68. l. 3. ff. de iurisd.

r) §. 6. I. de Attil. tut.

et infirmum esse huiusmodi aetatum consilium, et multis captionibus suppositum, et multorum insidiis expositum \textcircled{s}), aliorumque libidine infestum \textcircled{t}), ut ineuntis aetatis inscienza aliorum constituenda sit, ac regenda prudenter \textcircled{v}). Vnde apud Romanos non tantum, sed et alias gentes, Tutelarum ius receptum, ast, ut pleraque alia, Romanorum Legibus plenissime definitum et determinatum est. Et quidem in primis famosa illa Lege XII. Tab. Paterfamilias vti Legassit super pecuniae tutelaeue suae rei, ita ius esto \textcircled{x}). Parentibus permisum, ut possint liberis suis in potestate constitutis, de Tutoribus post mortem suam, ut solitudo illorum et pueritiae quam firmissimo munita sit praesidio \textcircled{y}), testamento vel codicillis testamento confirmatis prospicere, vel pure, vel ad certum tempus, vel ex tempore, vel sub conditione \textcircled{z}).

Quod

\textcircled{s}) I. 1. pr. ff. de min.

\textcircled{t}) Cic. pro Cael. c. 4.

\textcircled{v}) v. Cic. de Off. L. 1. c. 34.

\textcircled{x}) v. Vlp. Fragn. T. XI. §. 14. Dissert. N. XIII. ad Const. Marci §. 2. et seqq.

\textcircled{y}) Cic. in Verri. L. 1. c. 58.

\textcircled{z}) v. §. 3. I. de tut. §. 3. I. qui test. tut. dir.

Quod ius, ut et Dominorum in seruos, PAULUM plenissime perspectum habuisse constat; ex elegantissima, quam inter pupillum et seruum facit, comparatione, dum per interpretem ait, Quamdiu heres infans est, nihil differt a seruo, quamvis sit dominus omnium, sed sub tutoribus et Oeconomis est, usque ad tempus, quod Pater praestituerit *a*). Loquitur de herede infante, i.e. filio herede instituto impubere, eumque dominum dicit omnium. Heres enim apud antiquos pro domino ponebatur *b*), et successor est in uniuersum ius, quod defunctus tempore mortis habuit *c*); sed ait tamen eum non differre a seruo, quamdiu sub Tutoribus est, et sub Tutoribus esse et Oeconomis, usque ad tempus, quod pater praestituerit *(10)*. Quemadmodum

a) Ep. ad Gal. c. IV. v. 1. 2.

b) Fest. in voc. Heres. §. vlt. I. de hered. qual. et diff.

c) I. 24. ff. de V. S.

(10) Evidem hic fere adstipulor A. C. MARCHIO, qui in Spec. supra laudato contendit, verba PAULI ad Galat. IV. 1. non ad tutores, sed ad curatores pertinere. Erat enim, inquit, tum temporis, quo Apostolus has literas conscripsit, nondum legibus definitum, ut omnes minores post tutelam receptam sub curatoribus degerent, permisum autem parentibus,

enim seruus, qui est in potestate dominica, non potest facere quod libet, neque liberam rerum, si quas acquisuerit, vel dominus ei concesserit, administrationem habet, sed a voluntate domini dependentem, sic et pupillus, qui sub Tutoribus est, res suas administrare nequit, sed administration illa competit Tutoribus, et sub illis Oeconomis, usque ad tempus, quod pater in testamento praesituit. Quin enim Origo huius comparationis petita sit a Patre, qui ante obitum suum testamento facto heredem instituit filium, eique constituit Tutores, nemo fere dubitat praeter Grotium ^{d)}; qui similitudinem sumit a puerō, cuius pater peregrinatur, voluitque se absente alios personae rebusque eius praepositos. Sed ratione nulla iusta vel probabili. Agit enim Paulus de filio herede, ac proinde eo, cuius pater defunctus est, quandoquidem viuentis non est hereditas ^{e)}: Et quidem de eo, qui sub Tutoribus est. Nihil autem magis notum est, quam neminem de Iure nostro Potestati Patriae simul et Tutelae subesse posse, neque patriam potestatem peregrinatione amitti, ut euidenter appareat Paulum ex

^{arte}
co*ra* *ca* *si* *gri* *te* *re* *co* *mo* *re* *co* *re* *di* *ni* *m*
tibus, etiam ultra pubertatis annos ad certum tempus liberis testamento rectores praeponere. *Par.*

^{d)} Ad d. l.

^{e)} L. 1. ff. de hered. vel. aet. vend.

arte Iuris pulcherrimam illam comparationem instituisse; ut rectissime censet Vir Amplissimus, et de Iurisprudentia optime meritus, quem honoris causa nomino, Zacharias Huberus f); Non indistincte: in aliis enim inter Pupillum et Seruum plurimum interesse, ipsi Paulo notissimum erat, Sed ratione effectus et exercitii Iuris, quo uterque, et Pupillus, qui sub tutela est, et seruus, qui dominio subiectus est, destituitur.

Sequitur Ius Testamentorum, quod apud Romanos fuit celeberrimum. Non quasi Testamenti factio Iuris sit mere ciuilis, neque in Iure Naturae et Gentium fundamentum habeat, sed quia Romani huic capiti plurima addiderunt singularia, aliis gentibus vel incognita, vel non recepta.

Iuris Naturalis esse dominium eiusque Originem nemo negauerit, qui rem ipsam paulo altius repetierit. Cum enim Deus O. M. rerum ad usum hominum creatarum communem quasi quendam, aceruum posuisset in medio, fecit hominibus potestatem capiendi et arripiendi ex eo, quid et quantum cuiilibet visum est. Atque ita non per conuentionem aliquam hominum, qua
mini-

f) Diff. L. I. c. 4. §. 17.

minime opus erat, sed per Occupationem Dominium introductum est, primum quidem rerum mobilium, postea vero rerum immobilium, prout rerum conditio, aut indoles, aut multitudo hominum id ipsum exigebat: Eoque hoc pacto semel introducto, postea plures inuenti sunt modi, quibus id in alios transferri posset. Cuius iuris autem est Dominium, eisque origo, eiusdem etiam haud dubie sunt Domini effectus, qualis in primis est libera Domini de re sua dispositio g). Nihil enim tam conueniens est naturali aequitati, quam voluntatem Domini, de re sua disponentis, ratam haberi b). Siue dispositio illa pura sit, siue tempus adiectum habeat, siue conditionem; siue reuocabiliter, siue irreuocabiliter facta sit; siue dominus interim possessionem et plenissimum fruendi ius retineat, siue in alium rem statim transferat; ac proinde etiam siue dispositio illa per actus inter viuos fiat, siue per ultimam voluntatem seu testamentum (ii). Nihil enim est,

g) v. l. 21. C. mand.

b) § 40. I. de R. D.

(ii) Hic quidem WESTENBERGIO subscribere haud possum. Dudum enim alii recte docuerunt, successionem testamentariam, quantacunque est, iuri civili suam debere originem. Conf. CHR. THOMASII diff. de origine successionis testamentariae, Halae

1705.

est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, et licitum quod non iterum redit arbitrium *i*). Vix aliud maius solatium est mortis, quam voluntas ultra mortem; alioqui graue potest videri et ipsum patrimonium, si non integrum Legem habeat, et, cum omne ius nobis in id permittitur viuentibus, auferatur morientibus *k*).

Non disponit de rebus alienis, qui disponit de suis in mortis euentum, dispositionisque suae effectum in tempus mortis suspendit. Licet enim bona defunctorum iure sanguinis deferantur proximis, non tamen id procedit, nisi in supremae voluntatis defectum. Nam quamdiu ex Testamento potest adiri hereditas, non desertur ab intestato, *vti docet Vlpianus l*).

Licet

1705. E. TENTZELII progr. testamenti factionem totam esse iuris ciuilis, Erf. *1716.* et St. WISCHERI diff. de testamentis iuri naturae ignotis, Trai. ad Rh. *1728.* Alios iam praetereo sciens.
Pattm.

i) L. i. c. de SS. Eccl.

k) Quint. Decl. 308.

l) I. 39. ff. de acq. her.

Licet etiam res, quarum dominium est introductum, viuis hominibus inferuant, ad mortuos autem res humanae nihil amplius attineant, minime tamen ex eo recte infertur, Dominum de iis pro lubitu disponere non posse, neque eius interesse, quid circa ea post mortem suam fiat, cuiue cedant vel adiudicentur. Potestas enim disponendi, quae Iuris est naturae, in testamenti factione in primis elucet. Quod si enim inuitus bona sua aliis post mortem relinquere cogeretur, non iam dominium sed usumfructum tantum haberet; Et quaeſo, an non interest viuentis, ut possit ipſe de bonis suis in mortis euentum disponere? Nonne eius interest, ut secundum Legem Naturae gratitudinem erga eos exercere possit, a quibus beneficiis affectus est? ut beneficia conferre possit in amicos? Liberalitatem in egenos? Nonne eius interest, ne bona sua inuitus relinquere cogatur ingratis nepotulis, qui vitam lauro, elegantique producunt viatu? imo male de fœsi meritis, et indies merentibus, ipsisque adeo inimicis et hostibus? Nonne denique tum potius inter viuos ita de iis disponeret, ut ex iis post mortem nihil supereret, nihilque ad alios pervenire posset?

Falluntur etiam, qui putant mortuorum voluntates nullam obligationem producere, qua teneantur superstites. Si enim Iuris Naturalis,

ut

ut demonstratum dedimus, dispositio est Testatoris, non potest non eius aliquis esse effectus, ut scil. bona ad eum transeant, cui relicta sunt, indeque nasci obligatio quaedam, quae eiusdem Iuris sit, scilicet Naturalis, qua obligantur superstites, ne resistant vel impedian, quo minus bona defuncti habere liceat ei, cui ipse per dispositionem suam eadem reliquit.

Intercessit quidem quandoque iusiurandum, quo morientes suos, ad seruanda mandata quae-dam vltima, obstrinxerunt; sed mandata, quae proferuntur, ad dispositionem testamentariam, seu de bonis mandantis, non pertinent. Et si vel maxime illud ratione Testamentorum quoque a quibusdam adhibitum fuisse, neutquam tamen ex eo inferri posset, Antiquos credidisse, nullum vinculum praeter iusiurandum satis esse validum, ad obligandos superstites, ne defunctorum vltimas voluntates seu dispositiones de rebus suis subuerterent. Quemadmodum et in foederibus aliquique iuramenta aliquando accedunt, licet et sine illis negotia illa Iure Naturae rata sint ac valida, non creditur id sane Abrahamus, qui licet propinquos haberet in Mesopotamia, et Lothum cognatum non longe a se degentem, ex lumine naturae tamen non dubitauit, licitam sibi esse liberam de omnibus rebus suis dispositionem, qua, nulla habita ratione propinquorum, nullo-

que

que intercedente iureiurando, Eliezerem extra-
neum heredem, omniumque bonorum successo-
rem, instituere posset *m).*

Ad transferendum denique dominium con-
currat oportet affectus vtriusque, et eius, qui de
re sua disponit, et eius, in quem transfertur.
Quod in dispositione testamentaria deficere vide-
tur, qua heredes ut plurimum instituuntur igno-
rantes, et res ita relinquuntur, ut illa post mor-
tem demum effectum habeat. Sed non omnium
alienationum eadem est natura, eadem indoles.
Vel enim illa pura est, vel conditionalis, vel in
Mortis euentum facta. In pura vtriusque affec-
tus statim intercedit, dominiumque et possessio
statim transferuntur. Non etiam in caeteris,
Donationem alienationem esse in confessu est,
cuius species est Donatio mortis causa, quae simi-
liter in mortis fit euentum, nec non Legatum,
quod plerumque absentibus relinquitur et igno-
rantibus. Debet sane concurrere voluntas ac-
quirentis; sed nulla ratio exigit, ut voluntas dis-
ponentis et affectus accipientis statim coniungan-
tur. Ipsi Diss. concedunt valere donationem, si
donator mortuus sit, antequam eam acceptauer-
it donatarius, cum scilicet adhibitus est inter-
nuncius, ut donationem donatario notam faciat;

et

m) v. Genes. 15. v. 23.

D

et ille ante mortem donantis mandatum necdum executus est. Quid itaque obstat, quominus et idem hic admittendum sit?

Verum enim uero nullum caput est in toto Iure nostro, quod pluribus vigiliis ac lucubrationibus excogitatum, excultum, ac concinnatum ⁿ⁾, pluribusque solennibus circumscriptum est, quam caput de Testamentis. Quod tamen PAULUM nostrum probe nouisse, appetet ex applicatione iuris eius ad usum Spiritualem; dum in Epistola ad Hebraeos, per interpretem iterum loquens, ita differit: Vbi Testamentum est, mors intercedat necesse est Testatoris. Testamentum enim in mortuis ratum est: Quando- quidem nonidum valet, cum viuit testator o).

Sunt sane, qui διαθήκην illo loco vertunt pactum, foedus; imo qui contendunt, eam vocem apud Graecos nunquam significare Testamentum. Sed vti certum est, διαθήκη in genere dispositionem denotare (¹²), ita et apud Isaicum,

ⁿ⁾ L. 35. pr. C. de inoff.

^{o)} C. 9. v. 16. 17.

(12) Ita etiam τὸ τεſtamenτuṁ medio aevo quodlibet significabat instrumentum. Vid. quae hanc in rem notauimus ad Opuscula iuridica, ex Obs. miscellan.

Batav.

Isaeum p), Demosthenem q) et Isocratem r), id verbum pro testamento positum occurtere, non minus notum est; et ita illud dicto loco accipiendum esse, ex ipsis Pauli verbis, eiusque ratione manifestum est. Collectio Pauli haec est. In omnibus testamentis mors testatoris intercedat necesse est: Christus voluit foedus suum habere rationem Testamenti: Adeoque mortem Christi intercedere fuit necesse. Prior proposicio firmatur ex eo, quia testamentum in mortuis demum ratum est, neque valet seu effectum habet, quamdiu testator viuit. Quod utique ad Foedera seu Pacta referri nequit; Ad quae firmanda mors paciscentium non requiritur, sed statim, simul atque sunt inita, inter paciscentes effectum fortiuntur, imo saepe personalia sunt, et cum morte paciscentium cessant, et extinguiuntur.

Hanc autem rationem ex Iure Romano hauisse Paulum, arguunt non tantum ante dicta, ex quibus Paulum Iuris Romani peritum fuisse iam

D 2 abunde,

Batav. in vnum volumen collecta, Halae 1782. p. 169. Püttm.

p) Orat. de Cleon. her. et Orat. de Philotheum. her.

q) Or. 3. in Aphob. et 2. in Steph.

r) Aegynetic.

abunde constat, nec non, quod cum ea scriberet iam multo tempore in vinculis versatus fuerat Romae, sed et aperte docet Testamenti descrip^{tio} Romana, quam exhibet Vlpianus ^{s)}, dum ait, Testamentum est mentis nostrae iusta contestatio, in id solenniter factum, ut post mortem nostram valeat. Nec non Modestinus ^{t)}, dum inquit, Testamentum est voluntatis nostrae iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Eiusque ratio, quia viuentis non est hereditas, quam memoriae prodidit Pomponius ^{v)}. Quamdiu viuit Testator dispositio testantis omni caret effectu, neque Testamentum proprie dici potest; quippe quod omni momento mutari ac revocari potest, ambulatoria enim hic est voluntas usque ad vitae supremum exitum ^{x)}; ut nemo sibi hanc legem dicere possit, ut a priore voluntate ei recedere non liceat ^{y)}; adeoque sola rata sit voluntas postrema ^{z)}, et Testamentum prius per posterius ipso iure

^{s)} Fragm. Tit. 20. §. I.

^{t)} L. I. ff. qui test. fac. poss.

^{v)} L. I. ff. de hered. vel act. vend. add. I. I. ff. pro hered.

^{x)} L. 4. ff. de adm. leg.

^{y)} L. 22. pr. ff. de leg. 3.

^{z)} d. I. 22. pr.

iure rumpatur *a*). Per mortem vero Testatoris Testamentum confirmatur *b*), vt nullus id irritum amplius reddere, eive superaddere aliquid possit, vti alibi idem docet Paulus *c*); Dispositio enim Testatoris, post mortem ipsius, secundum ante laudatam Legem XII. Tab. ius est, et voluntas Testatoris pro Lege seruanda *d*); Qua vti in publicis nihil est grauius, sic in priuatis firmissimum est Testamentum *e*). Apud Hebraeos vti rara erant testamenta, sic et tales locutiones apud eos vix reperiuntur.

Testamento proxima est causa Successionis ab intestato. Quam, cum causam Testamenti plenissime nouerit PAULUS, ignorare non potuit, neque eum ignorasse appareret ex notissimi Iuris regula, quam iterum ad usum transfert Spiritualem, si filius, ergo heres *f*).

Ipsa

a) L. 1. l. 2. ff. de iniust. rupt. irr. test. §. 2. I. quib. mod. testam. inf. l. 27. C. de testam.

b) Laet. Inst. L. IV. c. 20.

c) Ep. ad Galat. c. III. v. 15.

d) Nov. 22. c. 2.

e) Cic. Phil. 2. c. 42.

f) Ep. ad Rom. 8. v. 17. Ep. ad Gal. 4. v. 7.

Ipsa quidem successio ab intestato non meri
videtur Iuris esse Ciuilis, quippe cuius funda-
mentum similiter in licita dispositione domini de
rebus suis, praesumtaque voluntate defuncti, po-
nendum videtur. Qui cum Iure dominii de re-
bus suis disponere, easque vel in totum vel pro
parte alicui donare potuisset, si id non fecerit,
tacite reliquisse videtur iis, qui ipsi sanguine pro-
xime iuncti sunt g). Neque enim probabile est,
defunctum beneficij voluisse perdere materiam,
eamue illius fuisse voluntatem, ut bona sua post
mortem primum occupanti cederent, vel adiu-
dicarentur, cui in bona defuncti, citra eius vo-
luntatem, secundum naturalem rationem nihil
iuris est. Sed contra naturali rationi nihil ma-
gis conueniens est, quam ut voluisse videatur de-
functus, quod naturali simul rationi ac officio
maxime congruit. Qua in causa primus ordo
est liberorum. Ratio enim naturalis, quasi Lex
quaedam tacita liberis parentum hereditatem
(qui Iure naturae ipsis ad alimenta, quae bona,
quae relinquuntur, raro superant, obligati sunt)
addicit, velut ad debitam successionem eos vo-
cando b). Idque apud omnes fere gentes, ipsos-
que Iudeos, quantum ad filios attinet, rece-
ptum.

g) v. l. 8. §. 1. ff. de iur. Codicill.

b) L. 7. pr. ff. de bon. damn.

ptum. Sed ius singulare apud Romanos tributum fuit suis heredibus, ad quod Paulus noster hic in primis respexisse videtur; qui viuis parentibus ius aliquod iam sibi acquisitum habebant, rerumque paternarum quodam modo domini erant *i*), ut heri quoque et domini minores dicerentur *k*), et ab intestato ipso iure heredes essent *l*); si vero testamentum conderetur, necessario institui deberent, vel nominatim exheredari, vel caeteroquin, si praeteriisset eos pater, testamentum ipso iure nullum esset *m*).

Deducit enim Paulus ius hereditatis ex iure adoptionis; cuius, licet res ipsa aliis, ipsisque Hebraeis non prorsus fuerit incognita, singulares apud Romanos, quibus usus eius erat frequentissimus, fuere effectus. Habebantur enim liberi Adoptiui in omnibus fere pro legitime natis *n*); Transibant in potestatem, familiam et

domum

i) L. 11. ff. de lib. et post.

k) v. Plaut. Asin. A. 2. Sc. 2. v. 62. 63. Merc. A. 1. Sc. 2. v. 2. Laet. Inst. L. IV. c. 29.

l) L. 14. ff. de suis et leg. her. §. 2. I. de hered. qual. et diff.

m) pr. I. de exhib. lib.

n) §. 8. I. de adopt.

domum adoptantis *o*); Participes siebant nominis eius, dignitatis, sacrorum, ac bonorum *p*), idemque ius ipsis competebat, quod suis heredibus naturalibus tributum erat *q*). Ut adeo, licet Adoptionis Diuinae et humanae in aliis non una sit differentia, ex fundamento Adoptionis, secundum rationem iuris nostri, eleganter inferat, si Liberi sumus, ergo etiam heredes, heredes Dei, et coheredes Christi *r*).

Constitutum pertinere ad intimam Iurisprudentiam Romanam, nemo iure nostro vel leuiter tinctus ignorat. Cum enim Iuris Naturae sit fidem datam seruandam esse *s*), Romanis tamen, ut seges litium amputaretur, et ne ex omni verbo actio institueretur, visum fuit id ipsum cancellis quibusdam circumscribere, ut scilicet ex nudo pacto obligatio quidem nasceretur et Exceptio, sed nou etiam Actio. Ita tamen, ut et

o) L. 11. §. 2. ff. de bon. poss. sec. tab.

p) Vopisc. in Aurel. c. 14. l. 13. ff. de adopt. l. 5. h. 6. l. 10. ff. de Sen.

q) L. 1. §. 2. ff. de suis et leg. her. §. 2. l. 1. de hered. quae ab intest.

r) d. Ep. ad Rom. c. 8. v. 17.

s) L. 1. pr. ff. de pact. l. 1. pr. ff. de pec. const.

hic iterum admitterent limitationes, si scilicet Pacta contractibus bonaे fidei in continentи essent adiecta, vel singulari iure, siue Ciуili siue Praetorio, confirmata. Inter quae Pactum etiam est Constituti, quo quis sine stipulatione, sola conuentione, promittit se solutum, quod ipse vel alius debet. Cum enim Praetor perpenderet, eum, qui constituit, agnoscere debitum iam praecedens τ), eiusque usum frequentem esse in Rep. ex singulari aequitatis ratione, Actionem, quae hоc casu Iure Ciуili deficiebat, contra constituentem dandam esse censuit ν). Quod ius, licet satis subtile, sese probe tamen etiam intellexisse ostendit PAULUS, dum in Epistola ad Philemonem α), ratione eius, quod debebat Onesimus, scribit, quod si qua te iniuria affecit, aut debitor Tibi est, hoc mihi imputato; Ego Paulus scripsi mea manu, ego dependam. Quibus verbis formulam constituti exhibet elegantissimam β); Cum enim Onesimus seruus esset fugitiuus Philemonis, adeoque graui non tantum dominum suum affecisset iniuria, sed et ex administratione rerum, vel peculii, naturaliter domino

τ) L. I. §. 2. 6. ff. de pec. const.

ν) L. I. pr. ff. eod.

α) v. 18. 19.

β) v. Scip. Gent. ad d. Ep. §. 58.

mino deberet, et ad eum redire metueret, Paulus noster, postquam eum ad fidem conuertit Christianam, domino eum remisit, et vt eo facilius in gratiam reciperetur, literas simul ad Philemonem dedit, iisque, si quid deberet Domino suo Onesimus, siue ex delicto, siue ex contractu, se soluturum constituit; eadem fere formula, qua ille apud Scaeuelam, qui ad creditorem literas faciebat eiusmodi, Quae Lucius Titius ex arca tua mutua acceperat, salua ratione yfurarum habes penes me domine z). Nec non Titius apud Iulianum, si quid debitum adprobatum erit, se cauturum et soluturum sine controversia a).

Sunt sane Viri Eruditissimi ac Consultissimi, qui Pauli scripturam vel nudam Cautionem esse censem, vel Fideiussionem continere, vel potius, neque sine speciosis rationibus, Expromiſſionem (13). Sed omnibus circumstantiis probe ponde-

z) L. 26. ff. de pec. const.

a) L. 5. §. 3. ff. eod.

(13) ZACH. quidem HUBERUS in diff. quae legitur inter eius dissertat. Trai. ad Rh. 1730. iunctim editas, libr. I. n. 3. contendit, chirographum D. PAULI, quod exstet in epistola ad PHILEMONEM §. 18. et 19. non continere obligationem constitutoriam, sed ve-
ram

ponderatis magis est, ut videatur Constitutum. Solam Cautionem non esse, ex eo manifestum est, quia non de proprio debito loquitur Paulus, sed de debito Onesimi. Sed nec Fideiussio dici potest, vel Expromissio, (licet et haec ad probandum Pauli nostri Iurisprudentiam non minus essent idonea) quia neque Fideiussio, neque Expromissio, quae Nouationis species est, citra stipulatio-

ram solidamque expromissionem. Contrarium autem recte ostendit Sc. GENTILIS in Commentar. in D. PAULI Apostoli ad PHILEMONEM Epistolam, cura I. H. de RUYTER, Trai. ad Rh. 1774. edit. nec non ipse de RUYTER in not. ib. „Constitutum, inquiens, est pactum nudum a praetore confirmatum, quo quis promittit, se solutum, quod ipse vel alius, sive naturaliter sive civiliter, debet, salua priore obli- gatione. Potest fieri et inter praesentes et inter ab- sentes; inter praesentes, quibuscunque verbis, in- ter absentes vel per noncium vel per epistolam; Potest et pure constitui et sub conditione; potest et in diem vel adiecto loco constitui, vel pro se vel pro alio; itidem potest constitui, quocunque sive naturaliter sive civiliter debetur; naturaliter etiam seruus heros obligatur, et heros seruo. Ex his omnibus patet, ad constitutum recte referri intercessionem Paulinam., Conf. etiam GER. BEEL- SNYDER diff. de differentiis iuris civilis inter con- stitutum, fideiussionem et expromissionem, Tr. 1744. et I. P. FARRET de intercessione Apostoli Pauli pro Onesimo, Tr. ad Rh. 1768. Püttm.

lationem peragi *b*), stipulatio vero non nisi inter praesentes et loquentes celebrari potest *c*).

Non solum quidem ait Paulus *ἀποτίσω* seu dependam vel persoluaam, sed et *τέτο ἐμοὶ ἔλλογει* seu id mihi imputato. Sed ex eo Expromissio non magis inferri potest, quam ex verbis, quae Lucius Titius ex arca tua mutua acceperat, habes apud me domine. Ex quibus Actionem de Pecunia Constituta nasci Scaeuela respondit *d*). Paulus securum reddere vult Philemonem, eumque debita Onesimi sibi imputare, ut, si ipsi non satisfaceret Onesimus, ea a se petere posset; Quod cum sine stipulatione per epistolam hic fiat, Constitutum est.

Est etiam Expromissionis species Delegatio, de eaque monet Vlpianus, Delegare aliquem scriptura vel nutu debitorem suum posse *e*). At idem tamen alibi *f*) docet, Delegationem vel per

b) §. vlt. I. de fidei. l. 5. §. 3. ff. de V. O. l. 12.

C. de fidei. l. 2. l. 5. ff. de nov. §. 3. l. quib.
m. toll. obl.

c) L. 1. ff. de V. O. §. II. l. de inut. stip.

d) L. 26. ff. de pec. const.

e) L. 17. ff. de nov.

f) L. 11. §. 1. ff. eod.

per stipulationem fieri, vel per litis contestationem. Ut sano sensu illa accipienda sint: Neque enim Vlpianus sibi ipsi, neque dicta eius sibi sunt contraria, sed bene conueniunt et in una sede morantur. Scilicet Delegatio ratione Delegantis et Delegati fit per mandatum, adeoque etiam per scripturam et nutum *g*); sed ratione Delegati et Creditoris, per stipulationem, vel litis contestationem *b*). Ut Delegatio effectum habeat, et delegatus creditori valide obligetur, ab eoque conueniri possit, delegatum esse non sufficit, sed necesse est, ut creditor nouandi animo a delegato stipuletur, et ita per stipulationem fiat nouatio: Quae inter absentes et per Epistolam fieri nequit. Quin et possunt, eodem auctore Vlpiano, absentes nouatione facta liberari, si scilicet creditor stipuletur ab aliquo praefente, quod sibi absens debet, et tum accepto liberet eum, a quo stipulatus est *i*). Verum longe aliud est absentem nouatione hoc modo facta posse liberari, aliud nouationem (quae hoc casu vtique inter praesentes facta est) inter absentes posse celebrari.

Super-

g) d. l. 17. ff. de nov.

b) d. l. 11. §. 1.

i) L. 13. §. 10. ff. de acceptil.

Supersunt denique Iudicia, quae si similiter paulo accuratius consideremus, PAULUM Iudiciorum tum primae, tum secundae instantiae, peritissimum fuisse, deprehendemus.

Cum enim Hierosolymae captus, et ne a Iudeis neci daretur, per tribunum Lyiam e manibus eorum esset ereptus, et ad Praefidem Felicem missus, solus, nulloque Aduocato instrutus, sese coram eo, aduersus celebrem tum temporis Oratorem Tertullum, nomine Pontificis Ananiae (qui contra Legem et Iudicis officium os Pauli caedi iusserat, ob eamque causam ab eo correptus erat) *k)* vt et reliquorum Seniorum, eum seditionis, violatae Legis, Templique profanati accusantem, egregie defendit, et inter alia, Legibus ac Iuri conuenienter, accusare non sufficere, sed probationibus et quidem luce clarioribus opus esse *l)*, testesque, si quos habarent, in iudicio adesse, seseque praesente examinari debere, ostendit *m)*. Posteaque coram Porcio Festo, Felicis successore innocentiam suam ple-

k) Act. XXIII, v. 2. et seqq.

l) L. vlt. C. de prob.

m) v. Act. c. XXIV, v. 1. et seqq. Matth. XXVII, v. 12. Marc. XV, v. 4. l. pen. C. de test.

plenissime demonstrauit, se scilicet neque in Legem Iudeorum, neque in Templum, neque in Caesarem, quicquam peccasse, neque quicquam contra se probatum esse. Cum vero nihilominus Festum gratiam a Iudeis inire, seque Hierosolymam mittere veile videret, Iure iterum Ciuium Romanorum vhus iustissime obmouit, se ad Tribunal Caesaris (quod scilicet Praesides nomine Caesaris habebant in Provinciis) stare, ibi demque se iudicari debere, Caefareinque viua voce appellauit ⁿ⁾. Sciebat Paulus insidias sibi struntas a Iudeis, ut e medio tolleretur in itinere; Certus erat Festum gratificaturum Iudeis, seque Hierosolymam missurum; videbat se, ut in innocentem, in periculo versari praeſentissimo, adeoque prudentissime ad remedium, quod solum supererat, confugit, prouocationis scilicet ad Caesarem, seu Imperatorem: Ad Caesarem, inquam, non alium ⁽¹⁴⁾). Nouerat enim summum imperium, a Senatu Populoque Romano, per Legem Regiam, translatum esse in Principem ^{o)}. Nouerat

ⁿ⁾ Act. XXV, v. 1. et seqq.

(14) De prouocatione D. PAULI ad Caesarem eleganter exposuit J. T. KREBS in Opus. p. 135. seqq. Püttm.

^{o)} v. Strab. Geog. L. vlt. in f. Dio Cass. L. 53. 57. 60. Suet. in Tib. c. 29. in Calig. c. 14. l. 1. pr. ff. de const. Princ.

rat Praefides nomine Principis mitti in Prouincias *p*). Nouerat denique a Praefidibus non ad Populum, vt olim *q*), sed ipsum Principem seu Imperatorem prouocandum esse *r*).

Neque hisce contrarium putandum Ius Romanum. Sancitum equidem Legibus nostris, vt non indistincte a quoquaque grauamine, sed a sententia demum definitiua appellari possit *s*). Festus vero in causae cognitione adhuc occupatus erat, certe sententiam nondum dixerat, neque Paulum criminis reum pronunciauerat. Sed Ius illud Ordinarium est. Aliud dicendum, si interlocutio vim habeat sententiae definitiuae, vel damnum vel grauamen inferat irreparabile *t*). Ante sententiam appellari potest, auctore Scaeuola *v*), si V. C. quaestionem in Ciuili negotio habendam Iudex interlocutus sit, vel in criminali, si contra Leges hoc faciat. Iam vero Festus

Paulum

p) Dion. Cass. d. L. 53.

q) v. Liv. L. 2. c. 8. L. 3. c. 55. Suet. in Caes. c. 12.

r) v. l. 19. C. de appell.

s) L. 21. l. 36. C. de appell.

t) d. l. 36.

v) l. 2. ff. de appell. recip.

Paulum Iudeis iudicandum contra leges concedere volebat, quibus ciuem Romanum Prouincialibus iudicandum tradere seuere erat prohibitum ^{a)}). Quin et grauamen Paulo inferebatur irreparabile; quippe qui in praesentissimum vitae periculum coniectus fuisset, si iniustae Festi voluntati acquieuisset. Cuius et summa iniquitas ex eo apparet, quod cum Paulus innocentiam suam iam abunde ostendisset, et non multo post coram Agrippa Rege, eiusque vxore Berenice, ipsoque Festo ad stuporem usque ipsius Festi, et Agrippae, aliorumque adstantium, causam suam iterum egisset, ut omnes innocentiam eius agnoscere cogerentur, neque haberet Festus, quod de criminis aliquo Pauli scriberet ad Caesarem, innocentem Paulum tamen in vinculis retinuerit, et ad Caesarem transmiserit, hoc solo colore, quod Caesarem appellasset, sibique proinde in hac causa subsistendum esset. Cum manifestum esset, Paulum hac sola ratione appellationem interposuisse, ne Festus sese Hierosolymam mitteret, Iudeis hostibus suis donaret, iudicandumque ac macrandum concederet; Ratio vero Iustitiae ac aequitatis, Iurisque Romani, non tantum non patiatur, condemnari innocentem,

falso-

^{a)} v. Plin. L. X. Ep. 97. Grot. ad Act. d. c. XXV,
v. II.

falsoque criminis accusatum, sed et talem in vinculis amplius non detinendum, neque catenarum acerbitate macerandum, imo absoluendum et dimitendum esse, iubeat *y*).

Sed nec peritiae Iuris Naturae Pauli aduersatur, quod scripsit ad Corinthios *z*), Et si tradam corpus meum, ut comburar, charitatem autem non habeam, hoc nihil mihi prodest. Ex quo Paulum cum Stoicis fecisse, et mortem voluntariam Stoicis in primis laudatam, sed Iuri Naturae tamen ac Diuino Morali contrariam, probasse, quibusdam visum est. Cum nihil sit, quod ab Eruditione, Doctrina, ac mente Pauli, magis sit alienum. Cui enim probabile fiat, Doctorem illum Gentium illuminatissimum ignorasse, quod plerisque ex lumine naturae notissimum fuit? homines scilicet in custodia quadam quasi positos esse, neque quemquam decere ex ea se ipsum soluere, vel aufugere *a*). Seu, uti pleniū id exposuit Lactantius *b*), non sponte nostra nos in hanc vitam venisse, ac proinde ex domicilio hoc corporis, quod tuendum nobis assignatum

y) v. l. 1. 5. C. de custod. reor.

z) Ep. 1. c. XIII, v. 3.

a) v. Plat. in Phaed.

b) Inst. L. III. c. 18.

gnatum est, non nisi eiusdem ius tu recedendum esse, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec iubeat emitti. Quis credat eum, qui vanam gloriam et ostentationem damnat, factum Calani Indi, qui, ut praeclarus Herculis discessus ex vita particeps fieret, in rugum ascendit ardenter, seseque viuum cremauit *c*), Empedoclis, qui, Deus immortalis haberet dum cupit, vti ait Horatius *d*), ardenter frigidus Aetnam insiluit, aliorumque qui iactationis gratia impias sibi intulere manus, probasse? Aliud sane docet Lex Diuina, eademque naturalis, Pauloque notissima: non occides. Nam si homicida nefarius est, qui hominis extinxtor est, eidem sceleri obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat. Imo vero maius id facinus, aestimandum est, cuius vltio soli Deo subiacet *e*). Quin et aliud docet ipse Paulus, dum monet, neminem suam ipsius carnem odio habere *f*), neminemque sibi, sed soli Deo, qui solus vitae mortisque hominum dominus est *g*), viuere in-

E 2

culcat

c) v. Cic. de Div. L. I. c. 23.*d*) de art. Poet. v. 464. et seq.*e*) Laet. d. c. 18.*f*) Ep. ad Eph. V. v. 29.*g*) Deut. XXXII, v. 39. I. Sam. 2. v. 6.

culcat b). Quis autem scopus, quae mens sit Pauli dicto loco, ex ipsis eius verbis, si probe considerentur, non difficile est intelligere. Occupatus ibi in eo est Paulus, ut ostendat, omnia ad charitatis regulam, (quae, vti idem alibi i) monet, finis Legis est et perfectionis vinculum) exigenda esse, nihilque, quantumuis opinione hominum splendidum, sine illa Deo probari, sed omnem virtutum speciem, si charitas absit, fucum esse. Idque in tantum procedere docet, vt et ratione Martyrii, quod subire facinus caeteroquin pulcherrimum est et praestantissimum, locum habeat; Adeoque si tempore persecutio-
nis homini pio ac innocentio, aut mors a Tyranno intentata oppetenda, aut aliquid contra Deum et pietatem committendum sit, mortem potius obeundam, ipsasque flamas et ignes, si res id exigat, preferendos esse; Sed tamen, si quis corpus suum tradat Tyranno, ut comburatur, et charitatis expers sit, hoc ei profuturum non esse.

Non etiam prudentiam eius Iuris Publici eleuat, quod Damasci passus fuerit sese in sporta per murum dimitti k). Licet enim, ex antiquissima

b) Ep. ad Rom. XIV, v. 7.

i) 1. Ep. ad Tim. I, v. 5. Ep. ad Coloss. III, v. 14.

k) v. Act. IX, v. 25. Ep. II. ad Cor. XI, v. 32. 33.

sima Lege Romuli, Muri Portaeque Ciuitatum res sanctae sint, capitisque poena in eos constituta sit, qui muros transcederint *l*); Idque non tantum ratione murorum Vrbis Romanae, sed et municipiorum, locum habeat *m*), ac proinde ad Damascum quoque, Regi quidem Areatae *(15)*, qui beneficio Augusti eiusque successoris Tiberii regnum obtinebat Arabiae *n*), parentem, sed Romano tamen simul imperio subjectam, pertineret. Non tamen ex eo statim sequitur Paulum ius illud Romanorum ignorasse, vel contra illud commissum esse. Non enim oportet ius Ciuale calumniari, sed qua mente quid dicatur animaduertere conuenit *o*). Non ex verbis ius pendet, sed verba seruunt consiliis hominum et voluntatibus. Lex voluntate constat Legislatoris et sententia. Leges ad aequitatem flectendae, semperque maior aequitatis, quam stricti iuris habenda est ratio. Ut in rationem Legis mentemque Legislatoris non ra-

ro

l) Liv. L. I. c. 7. l. vlt. ff. de div. rer. §. 10. l. eod.

m) L. 8. §. 2. ff. d. D. R.

(15) De Ethnarcha AREATAE, Arabum regis, PAULO Apostolo insidiante, binae existant dist. quarum prior praeside I. D. RITTERO, posterior autem I. G. HEYNIO, Vitembergae 1755. prodiit. Vtriusque auctor esse fertur HEYNIUS. Püttm.

n) v. Joseph. Ant. L. XVI. c. 16. L. XVIII. c. 7.

o) L. 19. ff. ad exhib.

ro inquirendum sit. Quaenam autem sit ratio Legis Romanae, ne quis murum transcendat, nemo non videt; ne scilicet Ciuitates expositae sint periculis et insidiis, sed ut tibi sint ciues a praedonum hostiumue incursu et assultu. Quae ratio si cesset, et ipsam Legem cessare dicendum est. Quin et Ius Romanum non indistincte poemam capitibus dictat in eos, qui muros transcederint, sed in eos demum, qui muros violauerint, hostiliue animo transcederint, vel in muros deliquerint p). Non etiam in eos, qui sine dolo ac fraude, ex iusta causa id fecerint. Ut neque Paulus, neque fideles, qui eum in sporta per murum dimiserunt, ut insidiis inimicorum subduceretur, contra sanctitatem murorum aliquid commisisse dici possint. Quemadmodum nec peccasse dici potest, siue ciuis siue peregrinus sit, qui ciuitatis ciuiumque seruandorum causa muros transcedit, hostesque repellit q).

Non denique (cuius falso quoque insimulatur) Iudicia improbat Paulus, dum ait, iam igitur defectus est in vobis, quod iudicia habeatis inter vos r). Iudicia sane in Republica non tantum utilia, sed et necessaria, imo salutem eius in Iudiciis sitam esse, res ipsa loquitur; Sine iudiciis enim Iustitia, quae fundamentum ac firmamentum

est

p) L. vlt ff. de D. R. §. 10. I. eod.

q) v. Cic. de Orat. L. II. c. 24, Quint. Inst. L. 7. c. 6.

r) Ep. 1. ad Cor. 5. v. 6. 7.

est Societatis Politiae, exerceri vel administrari nequit. Cuius ratio non patitur, vt quis in propria causa iudicet, vel sibi ipsi ius dicat. Cum caeteroquin tumultus in Rep. esset perpetuus, et non Resp. esset, sed status belli omnium inter omnes, et promiscuum latrocinium. Neque alia sententia fuit Pauli, vti constat tum ex iis, quae de ordine Imperantium et parentium, et obsequio Potestatibus praestando, gladiisque iure, alibi inculcat, et iam supra a nobis sunt exhibita, tum ex ipsis Iudiciis, quibus interesse necesse habuit, quae non tantum non improbavit, sed et debitam iudicibus exhibendo reuerentiam, defensionesque suas contra iniquas accusantium calumnias legitime proponendo, et ad Caesarem prouocando, tanquam rem licitam agnouit. Cuius contrarium ex dicto Pauli loco neutiquam probatur. Non enim omnia iudicia ibi damnat, eaque tanquam rem illicitam in Rep. toleranda negat; sed contentionem tantum cum scandalo coniunctam: Qualis erat illa fratum fidelium, coram Iudicibus infidelibus, cum offensione tam fidelium quam infidelium, vti ex verbis, quae praemituntur, sed frater cum fratre experitur, idque sub infidelibus, manifestum est.

Quod si itaque, AUD. OMN. ORD. SPECTAT.
 (vt alia, quae tempus et peragenda solennia, quorum causa maxime conuenimus, praeterire iubent, mittamus) PAULUS TARSENS. Ius Naturale
 probe

probe intellexit, si Iuris publici fuit sciens, si
Iuris Tutelarum, Testamentorum, Successionum,
Constituti, Iudiciorum, tum primiae, tum secun-
dae instantiae seu Appellationum, peritus, quis
amplius dubitet, eum ictis etiam annumerandum?
vel aegre ferat, si eum et nobis vindicemus, no-
stroque ordini accensendum censeamus? Quis
non miretur Iuris Romani excellentiam? quod
iam temporibus PAULI Apostoli usque adeo excul-
tum fuit, ut et PAULO dignum usum sit, in quod
diligentius inquireret, quodque ad innocentiae
ac bonae causae praesidium non tantum adhibe-
ret, sed et ad ipsum usum Spiritualem transfe-
ret. Quis non miretur, summam Iuris Diuini
et Romani in plerisque conuenientiam ac sym-
phoniam? Quis non perspicit, Ius nostrum, uti
in plurimis ex Iure Diuino illustratur, sic et in
non paucis sacris paginis lumen affundere? Quis
denique non meritis laudibus prosequatur sapien-
tissimum ac prudentissimum consilium ac institu-
tum multorum Populorum, in primis vero In-
clytorum FRISIORUM? qui IUS ROMANUM, quod
summa aequitatis ratione nititur, non tantum in
Academiis et Vniuersitatibus Literariis publice
docendum et discendum consuerunt, sed et usu
recepérunt, atque ita re ipsa probarunt.

II.

IOANNIS ORTWINI WESTENBERGH

ICTI ET ANTECESSORIS

RHADAMANTHUS

SEU

DISSERTATIO

DE

IURE RHADAMANTHI

HABITA PUBLICE

VI. IDUS FERR. MDCCXXVI

CUM

FASCES ACADEMICOS

DEPONERET.

LUGDUNI BATAVORUM

1726.

СИГИЗМОНДУС УСТРАНЕНИЕ

IOA. ORTW. WESTENBERGII
RHADAMANTHUS
 SEU
DISSERTATIO
 DE
IURE RHADAMANTHI.

Inter ea, quae tum hominibus, tum rebus, auctoritatem dignitatemque conciliant, non minimi momenti semper visa est Antiquitas et Vetus. Ut antiquitas saepe pro lege habeatur, et ad decisionem controversiarum, in negotiis tum publicis, tum priuatis, non raro plurimum conferat; ac proinde de antiquitatis gloria, inter ipsos antiques, cum veras rerum origines vel ignorarent, vel iis, quae ex antiquissimo et certissimo Historiarum ac veritatis (quod Moses literis consignauit) monumento, vel ex fama, et relatio-

relatione aliorum, percepérant, fidem non habérent, non semel certatum sit.

Deorum religionem ac cultum, aras, delubra, sacrificia, ritusque sacros, primos se constituisse ac curasse, ritusque illos aliis commonistrasse, gloriati sunt Aegyptii; quae tamen ab aliis Aethiopibus, a quibusdam Cecropi, a non nullis Melisso Cretensum Regi, tribuuntur. Imo fuere non pauci olim, et sunt etiamnum, qui religiones a maioribus traditas pertinacissime tueri ac defendere perseuerant, nec considerant quales sint, sed ex hoc probatas et veras esse confidunt, quod eas Veteres tradiderunt; tantaque est auctoritas vetustatis, ut inquirere in eas scelus esse ducatur. De antiquitate Generis ac Gentis, celebres sunt contentiones eorumdem Aegyptiorum ac Scytharum: Illis temperato coelo, soliq[ue] foecunditate ac fertilitate; hisce situ terrae editiori, aliisque inde deductis argumentis, nitentibus. Phrygum et Arcadum, qui se ante lunam creatos gloriabantur: Eorumdem Phrygum et Aegyptiorum: nec non Atheniensium, Argiorum, et Lacedaemoniorum. Affinis fuit quaestio de antiquitate Linguarum, inter eosdem maxime Phryges et Aegyptios; usque dum Rex Psammetichus, facto periculo, quaenam primo vox ex puerulis, defertae casae inclusis, vberis materni expertibus, et ab homi-

num

num confortio et sermone remotis, erumperet? Phrygibus de eo concedendum ratus est. Literarum inuentio, quae posteritatis causa repertae sunt, quarumque solo vnu memoriae fulcitur aeternitas, et ab omni obliuione res memoriae dignae vindicantur, quam gloriofa primo auctorii fuerit, nemo non intelligit, qui paulo attentius considerat, vim iuxta ingenii ac memoriae illi debuisse esse maximam, ac prorsus admirabilem, qui primus sonos vocis (qui infiniti videbantur) rudibus istis figuris signare, paucisque eiusmodi literarum notis terminare ausus est. Ut mirum non sit, tantae rei gloriam non vni, sed pluribus, variisque, Assyriis scil. Aegyptiis, Aethiopibus, Phoenicibus et in primis Cadmo, Cretensibus, aliisque; augmentum vero Palamedi, Simonidi Melico, nec non Epicharmo, tribui et adscribi.

Neque minor extitit contentio ratione Artium et Disciplinarum, quae literis inuentis superuenerunt. Historiam, (quae testis est temporum, vita memoriae, magistra vitae, et nuncia vetustatis, ac proinde, ceu prudentiae sapientiaeque principium, ad institutionem vitae humanae utilissima) primus inuenisse multis creditus est Cadmus Milesius; Quod tamen ad Aegyptiorum et Babyloniorum Sacerdotes refertur ab aliis, Philosophiae, quae mundi rerumque

primor-

primordia et causas docet, normamque ac finem boni et honesti inuestigat, adeoque virtutum indagatrix, vitiorumque expultrix est, principia apud Persas primi aperuisse dicuntur Magi, apud Babylonios et Assyrios Chaldaeii, apud Indos Gymnosophistae, apud alios alii, indeque ad Graecos, a Graecis vero ad alios fluxisse. Medicina, quae saluti hominum quaesita est, et mortalibus inter tot vndique irrepentium et irruentium genera versantibus maximo ubique est praefidio, cui, tanquam artis huius salutaris primo auctori, adscribenda sit, similiter non conuenit inter antiquos; dum quidam Mercurium apud Aegyptios, alii Vulcanum Oceani filium, alii Arabum Apollinis et Babylonis filium, alii ipsum Apollinem, alii Aesculapium aliud Apollinis filium, eam primum inuenisse et excoluisse voluerunt (1).

Et ut ad ea, quae nos paulo propius concernunt, accedamus, quis primus valuerit ad homines colligendos et in Societatem Politicam coniungendos? Quis primus oppida et Urbes condiderit? Quis primus Remp. Legibus constituerit

(1) Conferri hic metetur C. G. SCHWARZII Expositio veteris inscript. de Aesculapio et Hygea, diis φιλανθρώποις, ad illustrand. Epist. ad Titum III, 3. in eius Opusc. Academ. a T. C. HARLESIO Norimbergae 1793. edit. no. 2. Plut.

tuerit ac firmarit? cui tanta debeatur gloria? non minus dubium est. Magnanimum certe, totique humano generi necessarium et salutare fuit consilium illud, et conatus. Vnde et, Diuini hic quid subesse putantes, quidam Mineruam effecisse tradunt, ut homines a sylvestri et solitaria viuendi ratione desciscentes eodem congregati simul habitarent, domicilia coniungerent, et coniuncta moenibus sepirent, coniunctisque Leges praescripsisse. Alii, vti frumenti inuentionem, sic primae Legislationis gloriam Cereri (quae inde et *Legifera* ⁽²⁾ dicta) alii vero Themidi adscribendam contendunt. Quidam vero hoc institutum ad antiquissimos Reges et Principes referendum censem. Quorum quidam Menem, primum Aegyptiorum Regem, huius rei auctorem statuunt: Quidam Phoro-neum, primum Regem Argiorum: Quidam Cecropem Athenarum conditorem: Quidam Orpheam Thraciae Regem antiquissimum et sapientissimum; qui dum saxa ferasque lyra mouisse dicuntur, homines agrestes mansuetiores, sapienti quodam orationis genere, effecisse, non sine ratione putatur: Quidam Amphiōnem Mercurii filium; ad cuius cantum dulcissimum lapides in muros Thebanos vitro coiisse ficti sunt; quod eloquii nimis-

(2) De *Cerere legifera* scripsit A. C. STOCKMANN
Lipf. 1782. Püttm.

nimirum suavitate homines agrestes ad mores re-vocauerit: Quidam vero Cretenses, RHADAMANTHUM maxime ac Minoem, Cretensium Princi-pes; Quos societates hominum inuenisse, eosque ad mansuetiores vitae ritus perduxisse, a Diodo-ro Siculo et Strabone memoriae proditum est.

Fuit sane vti antiquissima Cretensium Resp. ita optimis legibus fundata, Quas inter in primis celebres sunt leges a RHADAMANTHO latae, seu Ius RHADAMANTHI; Quod, cum vinculum coniunctionis hominum societatisque politicae vel maxime concernat, eoque nomine apud ipsos antiquos decantatum sit, non indignum, certe a munere nostro non alienum visum est, in quod hac hora, (qua mihi summi Magistratus nostri munere et honore rite ac legitime functo, in locum hunc publicum prodeundum fuit, et verba pro splendidissima hac Panegyri facienda sunt) paulo accuratius inquirerem, cuiusque originem, veritatem, Iustitiam, et usum, beneuolis vestris auribus et animis (Aud. SPECt.) exhiberem.

Natale solum RHADAMANTHUS, secundum plerosque, habuit antiquissimam ac Nobilissimam maris mediterranei insulam Cretam; vel ab antiquissimis habitatoribus Curetibus, vel a Cre-te Nympha Hesperidis filia, vel a Crete Iouis filio,

filio, sic vocatam; alio nomine Aëriam, Hecon-topolin, Macaron et Macoroneson *a*), nunc Candiam ab occiduis montibus candidis dictam: mira soli coelique indulgentia et vbertate celebrem *b*), ut quicquid in Créta nascitur, caeteris eiusdem generis fructibus alibi genitis infinito praestare crederetur *c*): Ida monte celsissimo vertice assurgente, et Iouis antro, quondam superbam, centum urbibus opulentam, marique potentem, societatis hominum ac conuictus, religionis, usus ignis, aeris ferrique conflandi rationis, artis nauigandi, iaculandi et venandi, exercitationis Gymnasticae, nec non Musicae ac literarum inuentione *d*), studio Doctrinae ac sapientiae, Viris denique summis, rebus pace belloque gestis ac eruditione praestantibus, Minoe scil. Idomeneo, Diôte, Epimenide, Heraclide, Misone septem Graeciae sapientibus adscripto, Pyrricho (Pyrrichae saltationis auctore) aliisque, sed in primis RHADAMANTHO nostro famosam.

Quibus

a) Vid. Solin. c. 17.

b) Solin. d. I.

c) Plin. L. 25. c. 8.

d) Vid. Diod. Sic. L. V. c. 64. et seqq. Strab. L. X. Plin. L. IV. c. 12. L. VII. c. 56. Suid. in Κονικής γραμματα. Ibid. L. XIV. c. 6.

Quibus parentibus ortus sit, incertum reddit temporis antiquitas. Sunt, qui tradunt RHADAMANTHUM Vulcani, Vulcanum Tali, Talum Cretis fuisse filium *e*). Plerique Patrem eis tribuunt Iouem, matrem Europam Agenoris filiam, Neptuni neptem *f*). Pauci (quorum sententia ad veritatem historicam proprius accedit) Patrem eius Asterium (seu Asterionem) Cretae Regem fuisse statuunt, matrem vero eandem Europam Agenoris filiam *g*). Ipsi sane antiqui, qui Iouem Patrem eius faciunt, simul referunt Asterium Cretae Regem Europam postmodum uxorem duxisse, liberosque ex ea natos, Minoem scil. Sarpedonem et RHADAMANTHUM nostrum, cum ipse liberos non haberet, sibi adoptasse, liberaliter educasse, regnique heredes reliquisse *h*). Quod enim ab antiquis traditum est, Iouem sub specie tauri Europam rapuisse dorsoque impositam in Cretam detulisse *i*), ficta (vti quili-

e) Vid. Pausan. in Arcad. p. 280.

f) Vid. Hom. Il. L. XIV. Apoll. L. III. pr. Hyg. F. c. 155.

g) Vid. Euseb. Chron. DLXXII.

h) Diod. Sic. L. IV. c. 62, et L. V. c. 79. Apollod. L. III.

i) Vid. Ovid. Met. L. II. Fab. 13. v. 870, et seqq. Hygin. Fab. c. 178.

quilibet facile perspicit) est fabula. Cuius veritas esse videtur (vti sub fabulis verae fere latent historiae), quod Asterius Rex Cretae, per ducem Taurum, bellum gesserit contra Agenorem, Taurusque capta Tyro, (vel Sarapia) inter alios captiuos etiam Europam Agenoris Regis filiam ad Asterium in Cretam abduxerit ^{k)}. Licet ex fabula rationem nominis etiam deducat Eustatius ^{l)}, dum ait RHADAMANTHUM sic vocatum, quia insana cupiditate affecta fuerit mater eius Europa erga rosas, quas taurus, a quo rapta est, ipsi praebuit. Quam alii petere malunt ex oriente, vt scil. RHADAMANTHUS dictus sit quasi praceptor terribilis.

Cum itaque mortuus esset Rex Asterius, RHADAMANTHUS vna cum Minoe ⁽³⁾ et Sarpedone, fratribus suis, in regnum successit, simulque cum iis, et forte per partes insulae regno aliquo tempore praefuit. Usque dum, quemadmodum fratrum quoque non raro gratia rara est,

F 2

ortis

^{k)} Vid. Tzetz. ad Lycophr. 4. 1210. et seq. Paleph. de Incredib. c. 16. Chron. Alexandr.

^{l)} In Hom. Iliad. §.

(3) Distinguere hic debebat WESTENBERGIUS MINOEM primum a MINOR secundo, de quo infra Piatu.

ortis inter illos rixis et discordiis, bellum conflatum est, eo exitu et euentu, ut Sarpedone et RHADAMANTHO in fugam actis vietiisque, et ex Creta expulsis et eiectis, solus Minos totius insulae regnum obtinuerit. Quorum Sarpedon in Ciliciam appulit, Cilicique aduersus Lycios bellum gerenti opitulatus partis Lyciae regnum sibi comparauit; RHADAMANTHUS vero Ocaliam Boeotiae urbem delatus Alcmenam vxorem duxit, ibidemque postmodum vita functus est ^{m).}

Licet enim a Platone ⁿ⁾, et Diodoro Siculio ^{o)}, traditum sit, RHADAMANTHUM bonum quidem virum fuisse, eruditum quippe a Minoe; Non tamen tota Regia arte ab eo instructum esse, sed in ministerio Regio, vt in Iudiciis Praefes esse posset; Minoemque ipso in urbe tanquam legum custode, ad reliquami autem Cretam Talo vsum fuisse; atque ita RHADAMANTHUM Iudiciis praepositum ea exercuisse. Non tamen ex eo putandum, RHADAMANTHUM sub *Minoe* tantum Iudicem fuisse, principumque Cretae catalogo eximendum esse. Quandoquidem alibi idem

Plato

^{m)} Vid. Apollod. L. III.

ⁿ⁾ In *Min.*

^{o)} L. V. c. 80.

Plato p) memorat RHADAMANTHUM ea, quae ad iustitiam pertinent, distribuisse; eodemque illo loco, quo de Iudicio RHADAMANTHI agit, Minoem et RHADAMANTHUM Cretensum praestantes Reges, ipsosque Cretenses eorum ciues fuisse: nec non Diodorus q), non paucas a RHADAMANTHO insulas, multasque Asiae maritimae terras acquisitas esse; Regnum eum Erythrorum Erythro filiorum suorum vni, a quo *Erythri* nomen asserint, commendasse, Oenopionem vero, ex Minois Ariadna genito, Chium possidentem tradidisse; singulis autem Ducibus suis insulam aut urbem donasse, Thoanti Lemnum, Engyeo Cyrnum, Pamphilo Peparatum, Euambeo Marioneam, Alcaeum Paron, Anioni Delum, Andreo nomen ipsius seruantem Andrum r); Imo aperte Minoem RHADAMANTHUM fratrem Regni consortem habuisse, et ob iustitiae gloriam ipsi inuidere coepisse, eumque ad extremos imperii fines amandasse s). Ut taceam bellum, quod (vti vidimus) RHADAMANTHUS contra Minoem gessit, eiusque *vovoθειαν*, quam statim exhibemus. Quae talia sunt, quae in merum Iudicem neutiquam cadere manifestum est.

Cum

p) L. I. de leg.

q) L. V. c. 80.

r) d. L. V. c. 80.

s) d. L. V. c. 85.

Cum autem imperio praeset, probeque perspiceret, nihil esse, quod vitam magis bear posse, quam *bonus legum status, Iustitia, et Pax* ^{t)}, in primis id egit, ut iustitiam bene administraret inter subditos, et Remp. firmaret legibus. *Iustitia* enim, quae virtus est omnium perfectissima ^{v)}, domina ac *Regina* ^{x)} sine qua nihil potest esse laudabile ^{y)}, fundamentum est humanae societatis, ut sine illa nulla ciuilis congregatio subsistere possit. Nullaque re melius multitudo in Populi vnius corpus coalescit, quam *Legibus* ^{z)}, in quibus fundamentum firmum est, quo constituta Resp. fulcitur ac continetur. Et in utroque ita versatus est, ut laudem consecutus sit sempiternam.

Quantum enim ad administrationem *Iustitiae* attinet, constat Iudicem eum fuisse iustissimum ^{a)}, a dolis et imposturis alienissimum ^{b)},

nec

^{a)} Vid. Diod. Sic. L. V. c. 73.

^{v)} Nov. 69. pr.

^{x)} Cic. de Off. L. III. c. 6.

^{y)} Cic. de Off. L. II. c. 20.

^{z)} Liv. L. I. c. 8.

^{a)} Plat. I. de leg.

^{b)} Pind. Od. 2. Pyth. Plat. XII. de leg.

nec assentantem cuiquam, neque ad gratiam aliquius quicquam facientem, munera ac dona, quae excoecant oculatos, et peruerunt verba iustorum *c*), constanter spernentem, impiis denique ac maleficiis in poenis irrogandis inexorabilem *d*). Ut et Saturni assessor creditus sit *e*), et in proverbiū abierit *Rhadamanthi Iudicium*, pro iustissimo; severo *(f)*, incorrupto *f*): Imo post mortem Iudex animarum apud inferos constitutus sit *g*).

Quantum vero ad *Legislationem*, prudentia in ferendis Legibus (quas a Iove se accepisse, prae se ferebat *b*), usus est maxima. Licet enim Rex esset, Regiamque in subditos haberet potestatem,

c) Exod. XXIII. v. 8.

d) Diod. Sic. L. V. c. 80.

e) Pind. Od. 2. Olymp.

(f) Similiter apud Romanos ob seueritatem innotuit L. CASSIUS, Praetor, cuius tribunal, teste VALER. MAX. *scopulus reorum* dicebatur. Vid. MENAGII Amoenitat. iur. ciu. cap. 43. *Püttem.*

f) Vid. Suid. in *Rhadamanthios nuptias*.

g) Vid. Apollod. L. III. Virg. Aen. L. VI. v. 566. et seqq. Cic. I. Tus. 5.

b) Strab. L. X.

statem, *romodotiarum* tamen suam ad moderatam libertatem popularem direxit. Maximum namque bonum viribus supposuit *Libertatem* (5); Quae sola bona propria eorum facit, qui ipsa possident; Cum contra eorum, qui sub dominatu et in seruitute sunt, bona nulla sint, sed dominantium. *Libertas* autem ut salua sit ac perpetua, concordia in primis opus esse censuit, discordiam, eiisque causas, luxum scil. et auaritiam, quantum fieri potest, arcendam et eliminandam e Rep. Quibus profligatis, neque iniurientia, neque odium, neque iniuria, neque contumelia oritur. Ne vero timiditas adolescentum animos obsideret, sed ut contra fortitudo obtineret, a pueri armis et laboribus adsuefecit, ut despicere possent aestum, frigus, asperoram accluemque viam, aliaque incommoda i); Totamque *romodotiarum* ita instituit, ut bonos cives faceret, Legibusque obedientes k).

Docet id Lex inter alias saluberrima, qua, ut fontem omnium vitiorum praecideret, seuere prohibet

(5) De libertate recte aestimanda vid. I. C. RÜCKERI
Or. de libertatis praesidio, iure ciuili, in eius Opusc.
L. B. 1749. edit, p. 334. Püttm,

i) Strab. d, I. Cic. Tusc. Q. L. II, c. 14.

k) Aristot. Eth. c¹ Nicom. L. I, c. 13.

prohibuit, ne comportarent inter se ad ebrietatem *l*). Quemadmodum enim sobrietas omnium virtutum mater est, mentisque ac sensus, nec non membrorum omnium corporisque tutela; sic contra omnium perturbationum fons est ebrietas et intemperantia, et a tota mente et ratione defectio *m*). Detegit omne vitium ebrietas et incendit. Vbi possidet animum nimia vis vici, quicquid latebat, emergit. Tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: Tunc petulans non linguam, non manum continet: Crescit insolenti superbia, crudelitas saeuo, malignitas liuido: omne vitium grassatur ac prodit. Ebrietas corpus debilitat, viresque eneruat, sanitatisque ac salutis saepe naufragium est. Ut turpe sit plus sibi ingerere, quam capiat stomachus, neque stomachi sui nosse mensuram; Turpe in ebrietate facere, quibus sobrii erubescunt; Turpe insaniam insanire voluntariam *n*). Ac proinde non sine ratione sanxerit Pittacus Mitylenaeus, ut ebrii peccantes maiorem poenam iuant, quam sobrii *o*); quasi bis deliquerint,

tum

l) Vid. Plat. in Min.

m) Cic. IV, Tusc, Quæst. c. 9.

n) Vid. Sen. Ep. 88.

o) Arist. Pol. L. II, c. vlt. Diog. Laert. in Pitt.

tum quod sese inebriauerint, tum quod per ebrietatem peccarint (c).

Docet Constitutio, (quam et postmodum in Remp. Thuriorum transtulit Charondas) ad Legum maiestatem pertinens, qua iussit, ne Iuniorum quisquam audere inquire, recte an male Leges latae forent? verum omnibus, tanquam optimis, et quas ipsi Diu tulissent, obedirent et acquiescerent; Et si senex forte quisquam in iis aliquid deprehenderet, id aut ipsi Magistratus, aut alicui aequalium, nullo Inuenenum praesente indicaret p). Videbat scilicet prudentissimus Legislator, Leges spiritum et animam esse ciuitatis, ac proinde saluam ac illibatam esse earum dignitatem et auctoritatem, maxime interesse Reip. Videbat, quanta futura esset confusio ac perturbatio omnium rerum in Rep. si Leges, leui momento, conuellantur, mutentur, abrogentur. Videbat eum, qui tantum auctoritate sua valet in Rep. ut quaedam Leges, propter sua forte quaedam incommoda, mutentur vel tollantur, eadem facilitate ad unam omnes

(6) Τῷ μεθύοντι, inquietabat PITACUS, ἐάν ὀμάρτη, διπλὴ ἔσω ἡ ζημία, ἵνα μὴ μεθύσαι, πολλές οἵνε γενομένες. Cum deliquerit ebrius, duplice multa puniantur, ne inebriarentur homines, etiam si copia vini passim fuerit. Pāttm.

p) Vid. Plat. 1. de LL.

omnes abrogare posse. Eiusdemque sententiae fuit Lycurgus; Qui, cum Leges suas promulgasset, prefecturus ciues omnes iureiurando adstrinxit, se non nisi eo reuerso ex iis quicquam mutaturos esse; et ut eo iuramento perpetuo obligati manerent, exilium sibi indixit voluntarium, neque unquam Spartam reuersus est ^{q).} Ut et Charondas Thuriorum Legislator ^{r)}, vel (vti quidam volunt) Zaleucus, qui Loerenibus Leges tulit ^{s)}, dum inter alia cauit, ut ne cui liceret ad populum promulgare Legem, qua Lex vetus mutaretur vel abrogaretur, nisi collo inserto laqueo; et ut, si lex displicuissest, nouae Legis auctori gula laqueo frangeretur. Nec non Cleon ^{t)}, Alcibiades ^{v)} et Augustus ^{x)}, monentes, rectius sese habere Remp. quae Legibus licet non exacte bonis constanter vtatur, quam quae Leges facile mutat, licet in melius ⁽⁷⁾; neque

^{q)} Vid. Plut. in Lic.

^{r)} Diod. Sic. L. XII. c. 17.

^{s)} Demost. adv. Timocr. Stob. Serm. 37. in f.

^{t)} Vid. Thucid. L. III. p. 195.

^{v)} Vid. Thucid. L. VI. p. 425.

^{x)} Vid. Dion. Cass. L. LIII.

⁽⁷⁾ Idem senxit PERIANDER: Τοῖς μὲν νόμοις παλαιοῖς χρῶ, τοῖς δὲ ὄψοις προσφάτοις. Legibus quidem antiquis, sed obsoniis recentibus vtere. P.

que tantum boni ex mutatione, quantumvis in melius, expectari posse, quam damni, quod ex crebra et frequenti mutatione Legum contingit *y*).

Docet denique Lex nobilissima, ignorantiae Legum allegationem excludens, qua (ad exemplum Legis Diuinae *z*) sanxit, *ut liberi cum cum quodam concantu Leges perdisserent a*): Vt scilicet musica oblectarentur, et ita eas facilius memoria complectarentur (*b*); Ne si quid vitiis admisissent, id per ignorantiam se fecisse, se excusare possent *b*).

Quod et ob eandem causam secutus est Lycurgus, dum apud Spartanos constituit, ne scriptis vterentur Legibus, sed ut eas ab ineunte aetate

y) Vid. Arist. II, Pol. 6. in f.

z) Vid. Deut. VI, v. 7. XI, v. 14.

a) Aelian. Var. Hist. L. II. c. 39.

(*b*) Ita olim etiam annales, quo res gestae facilius memoriae infigerentur, ligato sermone conscriptos esse, praeiente PERIZONIO Animaduers. histor. c. 6. monuit H. I. ARNTZENIUS in not. ad Geo. D' Arnaud vitas Scacuolar. p. 10. Püttm.

b) Aelian. d. 1.

aetate memoriae mandarent *c*); et re ipsa probarunt Romani, apud quos moris erat, ut XII. primum Tabulae, et postea Edictum Praetoris, tanquam necessarium carmen, a puero ediscerentur; neque Leges vel Constitutiones ignorare cuiquam vel dissimulare integrum fuit *d*), sed caustum, ut Iuris ignorantia non tantum non excusat, sed et multis casibus noxia sit *e*)

Vt nulli mirum videri debeat, Cretenes ad sui imitationem Graecorum pertraxisse praestantissimos, et in primis Lacedaemonios *f*) et Locrenses *g*). Eosque, quamdui saluberrimis ipsis Legibus usi sunt, feliciter egisse, prolapsa vero sensim Legum obseruantia, mores eorum una cum fortuna in deterius, et denique in totum pessum iuuisse *h*)

Sed muslantes hic mihi audire videor (AUB. HUM.) quosdam, ea scil. quae adhuc dicta et laudata.

c) Plut. in Lycurg,

d) L. 12. C. de Iur. et fact. ign.

e) L. 9. pr. ff. de iur. et fact. ign. l. 10. C. eod.

f) Vid. Arist. Pol. L. II, c. 8. Strab. L. X. et XVI.

g) Strab. L. VI.

h) Vid. Strab. d. L. X.

data sunt, non RHADAMANTHO sed Minoi competere; *Minoa antiquissimum Legislatorem dici* *l)*, *Minoa multas in Creta insula vrbes condidisse, easque per ipsius Leges beatas fuisse* *k)*. Neque nos talia a quibusdam referri inficias imus. Scilicet incident haec in tempora antiquissima, per tres generationes (vti quidam volunt) Troiana antecedentia, ut multa hic sint incerta *l)*, et quaedam confuse ab ipsis antiquis tradita; Non tamen tam obscura, quin veritas historica transluceat (neque enim omnia, quae de RHADAMANTHO literis sunt prodita, meras fictiones et mendacia putamus) obiectaque nebula facili negotio dispelli possit. RHADAMANTHUM enim, quem non nudum iudicem, sed ipsius Regni partipem fuisse iam vidimus, primum Leges dedisse ex antiquis notauit Plinius *m)*, eumque tanquam Legislatorem exhibit Apollodorus *n)*, Strabo *o)*, et Menander; Quin et ipse Plato *p)* RHADA-

l) Plat. in Min. Laet. Inst. L. I. c. 22.

k) Plat. d. I. Diod. Sic. L. V. c. 79.

l) Paus. Arcad. p. 280, Died. Sic. L. V. c. 80, Strab. d. L. X.

m) L. VII. c. 56.

n) L. III.

o) L. X.

p) In Min.

MANTHUM vna cum *Minoe* inter optimos ex antiquis agnoscit Legislatores; nec non Diodorus, qui RHADAMANTHUM Cretensibus Leges scripsisse aperte memorat q). Adeoque, siue duo statuantur RHADAMANTHI, duoque *Minoes* (9); Quorum prior RHADAMANTHUS antiquissimus Legislator fuerit, incultumque hominum genus ad mansuetiores vitae ritus perduxerit, quem fecutus et imitatus sit *Minos posterior* r): siue unus RHADAMANTHUS, unusque *Minos*, (quemadmodum diuersos admittere non videntur iidem, qui vtrisque tribuuntur Parentes, Iupiter scil. et Europa, vnumque tantum *Minoem* et RHADAMANTHUM agnoscit Apollodorus s) difficultas evanescet. Neque enim contraria sunt, sed vero prorsus simillima, *Minoem* et RHADAMAN-

THUM

q) L. IV. c. 62.

(9) MINOEM primum a MINOE secundo, i. e. aum a nepote, qui haud distinguant, nae illi in difficultates haud superandas incident. Rem nuper dixit C. G. RICHTER in not. ad I. A. FABRICII Bibl. græc. Vol. II. pag. 19. sq. edit. quae curante C. G. HARLES Hamburgi 1790. prodiit, vnde locum, qui hue pertinet, integrum calcii huius diff. adiicimus. Püttm.

r) Vid. Strab. d. L. X.

s) L. III.

THUM simul Reges fuisse, sed RHADAMANTHUM, utpote de salute Reip. magis sollicitum, Leges condidisse, eoque a Minoe a Creta electo, *Minoem*, cum institutum illud salutare, Ciuibusque et incolis gratum esse videret, RHADAMANTHUM imitatum esse, Leges ab eo latae confirmasse, suasque aliquas adiecisse; Atque ita leges Cretensium *Minoi*, (maxime cum solus Regnum obtinuerit) a quibusdam adscriptas esse.

Cum autem non satis constet, quaenam Leges proprie a RHADAMANTHO, quaenam a *Minoe* latae sint, omnibus et singulis Cretensium Legibus exhibendis (quibus non dies, nedum haec hora sufficeret) non immorabitur, sed eas tantum, quae RHADAMANTHO nominatim adscribuntur, (quae per paucae sunt) nunc porro expendemus.

Inter quas primo loco celebris est Lex, ad refraenandum Diuini nominis abusum lata, qua prohibuit, *ne Deus omnino nominaretur* ¹⁾. Neque enim illa sic accipienda, quasi ipsum Iusiu-

randum

¹⁾ Eustat. ad Hom. Od. T. Ραδάμανθις δὲ ὑπὲρ τῆς μη
Θεὸν εὐράχειν ἐπὶ πάσιν, ἐκέλευσε πατὴ χρός νε
μνὸς νει πρὶς ὄμνύναι. id est, Rhadamanthus, ne Deus
omnino nominaretur, insit per anserem, et canem,
et arietem iurari.

randum (vti quidam etiam ex antiquis) improba-
verit. Iusiurandum enim neque rectae rationi,
neque Iuri Diuino, contrarium est, sed maxi-
mum expediendarum litium remedium ν), omnif-
que controuersiae terminus χ). Vnde et fidei
firmandae causa, et ad adstringendos, ad pro-
missa seruanda, homines, non tantum antiquis-
simis iam temporibus (vti sacrae testantur pagi-
nae) Diuina adhibita est auctoritas; sed et ipse
RHADAMANTHUS simplicia ac velocia iudicia per-
agebat, propositoque in singulis controuersiis iu-
reiurando his, qui litigabant, breui et securi
eos dimittebat γ). Quemadmodum et postmo-
dum Numa Pompilius apud Romanos, vbi Fidei
Publicae templum sacravit, voluit, vt quoties
alter cum altero contraetum fecisset sine testibus,
si qua exorta esset controuersia, eam alterius
litigantium fides dirimeret, nec contentionis
studium longius procederet; ex eoque tempore
Magistratus et Iudices, in dubiis causis, ex
alterius partis fide ac sacramento fecere arbi-
trium α).

Sed

ν) L. 1. ff. de iure*ius*.

χ) Ep. ad Hebr. c. 6. v. 16.

γ) Plat. L. XII. de LL.

α) Dionys. Hal. L. II. c. 77.

G

Sed non diu profuit firmandae fidei iurisiurandi remedium, tantusque eius successu temporis contemptus et abusus inualuit, ut iuriurandum in ornamentum et supplementum velut sermonis fere adhiberetur, et locum haberet illud Lysandri, vel Philippi Macedonis, *pueros talis, viros iureiurando circumueniendos esse a)*; verissimeque dici potuerit, corruptissimis iam olim temporibus, morem iurisiurandi feruatum esse, non ut a sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut periuria quoque sceleribus adderentur *b)*.

Vt itaque abusus ille extirparetur *(10)*, et ne Diuini nominis appellatione homines parum religiose vterentur, non alia ratione melius id obtineri posse putauit, quam si causam et occasionem praecideret, edicendo, *Ne quis Deum omnino nominaret.* Secutus praeceptum summi Legislatoris, *Non assumes nomen Dei in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumserit nomen Domini in vanum c).* Licet minus recte

a) Vid. Aelian. Var. Hist. L. VII. c. 12.

b) Vid. Aug. de Civ. Dei L. III. c. 2.

(10) De abusu iuramentorum e rep. proscribendo dixit G. H. AYRER Goett. 1741. *Püttm.*

c) Exod. XX. v. 7. Deut. V. v. 11. Lev. XIX. v. 12.

recte sese habeat, quod iurari voluerit per anserem, aut canem, aut arietem; per quae animalia et similia, puta aues, capparim, et cramben, iurasse postmodum Socratem (11), aliosque, memoriae proditum est 4). Cum vel ex ipsa fana ratione, si quis ad eam probe attendat, percipi possit, non nisi per solum verum Deum, non vero per creaturas, ac proinde nec per animalia iurari posse. Est enim Ius iurandum assertio religiosa, qua Deum omniscium et omnipotentem in testem inuocamus, Diuinamque poenam in nos deponimus, si scientes fallamus. Solus autem verus Deus Καρδιογένης est, et praeter Deum nihil omniscium vel omnipotens, ac proinde a ratione prorsus alienum, iurare per rem aliquam, veluti animalia, eaque tanquam testes et periurii vltores inuocare, quae omni Diuinitatis opinione destituuntur.

Non minus celebris est Lex alia RHADAMANTHI, ut qui manibus iniustis irritantem pro-

G 2 pulsaue-

(11) De SOCRATE elegans exstat Fr. MENTZII diff.
hoc titulo: SOCRATES nec officiosus maritos, nec
laudandus paterfamilias, Lips. 1716. Püttm.

4) Vid. Euflat. ad Hom. d. l. Aristoph. in Anib. Athen.
Deipn. L. IX. c. 2.

pulsauerit, insont sit e). Quae propulsionem vis iniustae, suique defensionem, concedit, etiam cum nece alterius (12); Quemadmodum manifestum est ex eo, quod de Hercule relatum est; eum scil. Linum, quod ab eo tanquam praecceptorate vapulasset, cythara percutiendo interemisse: Cum enim quidam Herculi ob eam causam diem dicerent, eumque caedis ac commissi criminis postularent, ille ad hanc legem prouocauit, et iure eius Legis absolutus euasit incolunis f).

Quod Ius sane summa ratione nititur. Ut enim vim iniustum vi repellere ac propulsare, seque aduersus periculum vitae ac corporis defendere liceat, ratio docet naturalis, omniaque Iura permittunt g). Est enim (vt verba Tullii nostra faciamus) *haec non scripta sed nata Lex,*
quam

e) Apollod. L. II. παραγέγνω νόμον Ραδαμάνθοις λέγοντος, 'Ος ἐν ἀμύνηται τὸν χειρῶν αἰδίων ἔρξαντε, εἴθον εἶναι. id est, recitauit (sc. Hercules) Legem Rhadamantbi dicentis, qui manibus iniustis irritantem punierit, seu pulsauerit, insontem esse.

(12) Conf. A. D. van den SANTHEUVEL diff. de sui ipsius defensione, L. B. 1772. Rüttm.

f) Apollod. d. I.

g) L. 4. pr. ff. ad L. Aquil. I. 1. §. 27. ff. de vi et vi arm. I. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.

quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripiimus, huiusmus, expressimus; ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus; ut si vita nostra in aliquas infidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio sit expedienda salutis b). Unde et Plato eam in suas Leges transtulit; dum ita fanciendum putauit: si orta seditione, vel quouis modo frater fratrem in se impetum facientem, pra defende sua interimat, quasi hoste perempto purus sit. Quin etiam si ciuis ciuem, aut peregrinus peregrinum, aut peregrinum ciuis, vel e conuerso, defendendo se interficerit, similiter mundus sit i); Et secundum eam in Iure Romano non semel responsum et rescriptum sit. Quodcunque enim ob tutelam corporis sui quis fecerit, id iure eum fecisse, respondit Florentinus k); si quis seruum alicuius latronem, sibi insidiantem occiderit, seruum fore, Gajus l); Eum, qui vim infert, sui defendendi causa ferire concedi, damnumque dantem innoxium esse, Paulus m); In eundem que

b) Pro Mil. c. 4.

i) L. IX. de leg.

k) I. III. ff. de I. et I.

l) I. IV. pr. ff. ad L. Aquil.

m) I. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.

que sensum, si quis aggressorem, percussorem, vel latrocinantem peremerit, eum, qui inferendae caedis voluntate praecesserat, iure caesum videri, rescripsere Gordianus et Gallienus ^{n).} Quemadmodum et eum, qui stuprum sibi vel suis inferentem occidit (¹³), dimitendum esse, censuit Marcianus ^{o).}

Sed celeberrima est Lex, quae a quibusdam cum priori confunditur, sed et verbis et re ipsa ab ea diuersa est, et *κατ' ἔξοχην* Ius RHADAMANTHI vocatur, ut *si quis patiatur, quod fecit, Ius sit aequum p.* Quae Lex Talionis est (¹⁴), par-

rem

ⁿ⁾ I. II. I. III. I. IV. C. ad L. Corn. de Sic.

(¹³) De caede violenti stupratoris, pudicitiae tuerdae causa omnino licita, exposuit P. G. DUCKER, Ultrai. 1773. Pluttm.

^{o)} I. 3. §. 4. ff. ad L. Corn. de Sic.

p) Arist. Eth, ad Nic. L. V. c. 8. *μάτροι βέλονται γε τέτο λέγειν ναι τὸ Ραδαμάνθιος δίκαιον, Εἶτα πάθοι τὰ κ' ἔρεχε, δῆμη ναι ιδεῖ γένοντα. id est, Quantquam volunt Rhadamanti quoque Ius id dicere; Si quis patiatur, quae fecit, ius sit aequum. add. Sen. de mort. Claud. circ. f.*

(¹⁴) De poena talionis legi merentur HENR. a COC-
CELI diss. de saer. sanct. talionis iure, nec non I. P.

BUCHERI

rem vindictam, seu poenam reciprocam, suppliciique similitudinem *q*), probans, et ex ipsa natura M. Tullio Cicerone iudice profecta *r*). Neque enim Lex aequior vlla est, quam necis artifices arte perire sua. Iustissima patienti vice, vt quod quis alieno excogitauit supplicio, expiet suo. Sua quisque exempla aequo animo pati debet *s*). Neque acerbitas est, si idem in te fiat, quod tute in alio feceris *ss*). Propter innatam omnibus Iuris naturae regulam; *Quod tibi vis fieri, alteri feceris; quod tibi vero non vis fieri alteri ne feceris.* In qua radix est et summa Iustitiae *t*), fundamentum aequitatis *v*), imo, ipso

BUCHERI diff. II. de iure talionis, Harderou. 1763.
et Steinf. 1764. Est autem poena talionis ex sententia interpretum vel identitatis s. Pythagorica, quando scilicet secundum litteram legis par pari refertur, (quod certe, ipso fatente Westenbergio, semper fieri nequit), vel similitudinis seu analogica, qua corpus aut vita pretio redimitur. *Patim.*

q) Vid. Fest. in voc. Taliensis l. 3. C. Theod. de exhib. reis. l. vlt. C. de accus.

r) De Inuent. L. II. c. 2. 12,

s) Phaedr. L. I. Fab. 26.

ss) Gell. L. XX. c. 1.

t) Laet. Inst. L. VI. c. 23.

v) Laet. Epid. c. 3.

ipso Iuris Naturae auctore et interprete optime
ac fidelissimo Seruatore nostro, Lex et pro-
phetae x).

Et quomodo quaeſa iniqua censeri potest
Lex, quae fundamentum habet in Lege Diuina
ex eaque deriuata est? Si exitium sit, ait summus
Legislator, tum redde animam pro anima, oculum
pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pe-
dem pro pede, vſionem pro vſtione, vulnus pro vul-
nere, tumicem pro tumice, fracturam pro fractu-
ra y). Cuius tam euidens est aequitas, vt se
non tantum Israelitis, sed et Gentilibus, et prae-
ter RHADAMANTHUM, plerisque probauerit Le-
gum latoribus antiquis. Agnouit sane aequita-
tem eius naturalem Cain, cum imperfecto Abele
fratre dixit, quicunque me inueniet, me occidet z).
Agnouit Adonibezek, cum capto illi ab Israeli-
tis pollices manuum et pedum amputarentur,
inquiens, Septuaginta Reges pollicibus manuum
suarum et pedum suorum muriati colligebant sub
mensa mea, quemadmodum feci, sic rependit mihi
Deus

x) Matth. VII. v. 12, add. Luc. VI. v. 31.

y) Vid. Exod. XXI. v. 23, et seqq. Lev. XXIV. v. 17.
et seqq. Deut. XIX v. 21.

z) Gen. IV. v. 14.

Deus a). Agnouit Legislator Atheniensium Solon, dum ei, qui oculum alteri eruisset, non vnum tantum oculum, sed ambos eruendos esse constituit *b)*. Agnouere Pythagoraei, et qui ex Pythagorae Schola prodiit Charondas Thuriorum Legislator, qui inter alia apud Thurios sanxit, ut si quis alter oculum excussisset, ipse quoque oculo orbaretur *c)*. Agnouere denique Decemviri apud Romanos, qui Legem illam Talionis in Leges etiam suas receperunt, et transtulerunt in XII. Tabulas, edicentes, *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto d)*.

Quemadmodum et plurima alia ex Legibus Diuinis ad alias gentes, in primis Graecos, ab iisque ad Romanos deriuata et translata, in ipsis eorum Leges recepta sunt.

Deos peregrinos ne haberent Israelitae, se vere cautum Legē Diuina *e)*. Idem receptum apud Romanos, vt appareat ex hisce Ciceronis;

Sepa-

a) Iud. I, 1. v. 7.

b) Diog. Laert. in Solon.

c) Diod. Sic. L. XII. c. 17.

d) Vid. Gell. L. XX. c. 1. Fest. in voc. Talionis.

e) Exod. XX. v. 3. XXIII. v. 13.

*Separatim nemo habessit Deos peregrinos, neue no-
vos: sed nec aduenas, nisi publice adscitos priuatum
colunto f).* Ut sacrificia, iquae Deo offereban-
tur, integra essent, perfecta, et praestantia,
non maculosa, labe quadam affecta, mutila vel
manca, iusserat Deus O. M. g). Quod ad ple-
rosque transit populos, Aegyptios h) scil.
Athenienses, reliquosque Graecos i), et Roma-
nos k): et in causa fuit, ut victimae ante inspi-
cerentur et probarentur, probatae coronaren-
tur, et sic ad aras deducerentur l). Ex Lege
Sacra primitiae frugum deferendae erant in do-
mum domini m). Idem receptum apud Aegyp-
tianos n).

f) de Leg. L. II. c. 8. add. Liv. L. I. c. 20. L.
XXX. c. 16. Act. XVI. v. 21. Paul. Sent. L. V.
T. 21. v. 2.

g) Exod. XII. v. 1. Lev. XXII. v. 23.

h) Chaer. apud. Porph.

i) Vid. Plat. Alc. II. Hom. Od. X. II. 1.

k) Vid. Virg. IV. Georg. V. 539. IV. Aen. v. 57.
et ibid. Serv. Fest. in voc. Eximium. Macr. I.
Sat. 5.

l) Vid. Plin. VIII. c. 45. L. XVI. c. 4. Act. XIV.
c. 13.

m) Exod. XXIII. v. 19. XXXIV. v. 26. Deut. XXVI.
v. 2.

tios *n*), Pelasgos *o*), Romanos *p*), aliosque *q*). Ut ignis perpetuus arderet in altari, neque vñquam extingueretur, caustum erat Iure Diuino *r*); Idem seruatum apud Persas *s*), Trojanos *t*), nec non Romanos; Apud quos si quando ignis Vestae interstinctus esset, Virgines Vestales verberibus afficiebantur a Pontifice *v*). Moses edixerat: *Ad omnem mortuum sacerdos non ingreditor; ne pro patre quidem suo, aut pro matre sua se polluto* *x*). Idem apud Cretenses obseruatum esse, testis est Euripides. Neque aliud in usu fuit apud Romanos; apud quos Flamen Dialis locum, in quo bustum erat, nunquam ingrediebatur, mortuum nunquam attingebat *y*), morisque fuit ramum cupressi ante domum fune-

stam

n) Diod. Sic. L. I. c. 14.*o*) Dion. Hal. L. I. c. 23. 24.*p*) Plin. L. XVIII. c. 2.*q*) Solin. c. 21.*r*) Lev. VI. v. 12. 13.*s*) Proc. I. Pers.*t*) Virg. Aen. L. II. v. 152. 29%.*v*) Fest. in Voe. Ignis.*x*) Lev. XXI. v. 11.*y*) Gell. L. X. c. 11.

stam ponere, ne quisquam Pontifex per ignoran-
tiam pollueretur ingressus *a*). Moses cauit, ne
super mortuo carnes suas incidenter Hebrei *a*);
Idem apud Athenienses sanxit Solon *b*); indeque
Romam translatum in *xii*. Tabulas iisdem fere
verbis receperunt Decemviri, edicentes, *Mulie-*
res genas ne radunto, neue lessum funeralis ergo ba-
bento c). Moses iussit, ut homicidio admisso,
cuius auctor ignorabatur, id a senioribus vicinae
ciuitatis (*15*) expiaretur *d*); Mosen fecutus est
Draco, qui similiter voluit, ut incerto homicidii
auctore, ipsomet die statim sine mora populus
istius ciuitatis, expiandi homicidii causa, purga-
retur *e*). Si vero homicidium commissum esset
fortuitum, Moses sex constituit Vrbes, tres vi-
tra,

a) Serv. ad Virg. Aen. L. III. v. 64. L. IV. v. 507.

a) Lev. XIX. v. 28. XXI. v. 5.

b) Plut. in Solon. Vid. Cic. de Leg. L. II. c. 25.

c) Cic. d. l. Plin. L. II. c. 37. Fest. in voc. *Radere*.

(15) Simile quid in quibusdam Germaniae prouinciis obseruauit I. C. H. DREYER in Miscellaneis,
quae prodierunt Lubecae 1784. no. 4. *Püttm.*

d) Deut. XXI. v. 7.

e) Demosth.

tra, tres cis Jordanem, in quas, ceu asyla (ⁱ⁶), homicidii eius reo, contra vindicem sanguinis, tutum esset refugium f). Quod exemplum praebuit nepotibus Herculis Arae Misericordiae consecrandae Athenis, ut quisquis eo confugisset, inde per vim non posset abduci g); nec non Atheniensibus delubri Theseo condendi, quod seruis et tenuioris fortunae hominibus esset perfugium. Quin et ipsi Romulo Asyli cuiusvis generis hominibus aperiendi h), Iurisque ασυλιας non tantum templis, sed et statuis Principum i), postmodum tribuendi, ut si quis eo confugisset, inde sine crimine abstrahi non posset k). Lex Diuina ait, si in effossione deprehendatur fur et per-

(16) Vid. I. T. KREBS. Comment. de amico consenu Ebraeorum, Graecorum, Romanorum, in poena homicidae non voluntario constituenda, Lips. 1781. Püttm.

f) Deut. XXI.

g) Pausan. in Att. P. Stat. Thebaid. vlt.

h) Lev. L. I. c. 8.

i) Vid. Plaut. Rud. A. 2. sc. 7. Tac. Ann. L. III. c. 60. l. vn. C. de his qui ad Eccl. N. 17. c. 7.

k) Sen. de Clem. L. I. c. 18. l. 2. ff. de his qui sui vel al. iur. sunt. §. 2. l. eod. l. 4. §. 1. ff. de off. Praef. verb.

cussus moriatur, reus caedis ne esto percussor l).
Quae primum iterum a Solone in Leges, quas
praescripsit Ateniensibus m), et deinceps toti-
dem fere verbis apud Romanos translata est in
xii. Tabulas, quarum verba fuerunt, si nox fur-
tum faxit, Sim aliquis occisit, iure caesus esto n).
Quibus, vt nec Iure diuino, non distinguebatur,
an percussor id cum clamore testificatus esset, an
non? an ei parceré potuerit, an non potuerit?
summa sane et ea quidem maxime ratione, quia
fures nocturni accedunt armati, eoque affecti
animo, vt si quis vlla ratione resistat, eum e me-
dio tollant; Ut in mora sit periculum, nec de-
liberationi locus; ac proinde quemadmodum
vim corpori ac vitae inferentem etiam cum nece
vim inferentis propulsare licet, sic et nocturnum
effossorem sine peccato neci dare ius esse de-
beat; locumque inueniat illud Valentiniani,
Theodosii et Arcadii; mortem quam minabatur
excipiat, et id quod intendebat incurrat: Melius
onim est occurrere in tempore, quam post exitum vin-
dicare.

¶ Exod. XXII. v. 2.

m) Vid. Demosth. in Timocr.

n) Vid. Gell. L. VIII. c. 1. Macr. Sat. L. 1. c. 4;
 L. 4. pr. ff. ad L. Aquil.

dicare o). Lex Diuina ait, *'Ne moueto terminum proximi tui, quem determinarint prisci, in possessione tua quam possidebis p).* Maledictus, qui mouet terminum proximi sui q). Quam secutus est et fere expressit Numa Pompilius, dum terminos Ioui Terminali sacros esse voluit, sacraque instituit Terminalia, simulque eum, qui terminos sustulisset, Deo Terminali deuouit (17), promissa intersectori impunitate r). Lex Diuina ait, *'Quum quis retexerit foueam, aut quum foderit quis foueam, deinde vero non operuerit eam et ita ceciderit illuc bos aut asinus; dominus ille foueae repandat, pecuniam restituat domino eius; animal autem mortuum eius sit s).* Cui simillimum est monitum Pauli ad Edictum, quod relatum est in Pandectas: *'Qui foueas urorum ceruorumque capiendorum causa faciunt, si in itineribus fecerunt, eoque aliquid decidit factumque deterius est, Lege Aquilia obligati*

o) L. I. quand. lie. uniuicuique fin. iud. se vind.

p) Deut. XIX. v. 14.

q) Deut. XXVII. v. 27.

(17) De termino moto praeter alios scripsit C. H. TROTZ in OELRICH. Thes. nou. Diff. iur. Vol. II. Tom. I. Püttrm.

r) Dion. Hal. L. II. c. 56. Fest. in voc. Termino.

s) Exod. XXI. v. 33. 34.

obligati sunt. At si in aliis locis, ubi fieri solet, fecerunt, nihil tenentur t).

Sed longum esset singulas gentes peragrare et in earum mores inquirere; Longum esset earum iura et Leges scrutari; Longum eadem cum Legibus Diuinis conserre; in quo iam defudatum est ab aliis (18). Sufficit ex dictis constare, vix ullam esse Ciuitatem Graecorum, vel Barbarorum, in quam Iudeorum ritus Legesque *en* *paucæ* seu iam pridem (vti contra Apionem gloriatas est Iosephus) v) non penetrauerint; Legesque aliorum, Graecorum maxime et Romanorum, de Diuina Lege ut antiquiore ferme mutuatas esse x).

Non equidem ignoramus (AUD. SPECT.) non paucos esse, qui censem Legem Talionis Diuinam

z) Vid. l. 28. pr. ff. ad L. Aquil.

(18) Cui quæsto ignota incerti auctoris Coll. Leg. Mol. et Rom. circa finem sec. V. composita? quae vulgo, sed perperam, LICINIO RUFINO tribuitur. Vid. I. A. BACHIT hist. iur. pag. 571. Nec silentio hic praeterreundae Fr. RAGUELLI Leges polit. ex S. S. libris collect. c. interpr. Bochelli, Paris 1715. P.

v) L. II.

x) Vid. Tertull. Apol. c. 46.

Diuinam non secundum literam, sed eo sensu accipiendam, ut damnum danti poena irrogetur analoga, et compensatio fiat per bona externa; Caeteroquin eam iniquam esse, et a ratione alienam: Tum et Iure postmodum Diuino, nec non Romano, vt et moribus, eam abrogatam esse. Sed quominus cum iis faciamus, verum in omnia alia eamus, rationes iubent complures et praegnantissimae.

Quantum enim ad Legem Talionis Diuinam attinet, quominus eam secundum literam accipere licet, non tantum nihil obest, sed hunc genuinum eius sensum esse, ex ipsis eius verbis manifestum videtur. Non tantum enim dicitur oculum reddendum esse pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, vstitutionem pro unctione, vulnus pro vulnera, tunicem pro tunice, fracturam pro fractura; quae sane proprium sensum prae se ferre videntur; sed et additur, quemadmodum fecit, sic fiat ei; prout intulerit corporis vitium homini, ita infertor ei y). Quae verba non poenam analogam seu pecuniariam aequalem significant, sed profusus eandem, seu vt idem illud, quod alteri fecit, et ipse patiatur. Quem sensum etiam efflagitant verba
quae

y) Lev. XXIV. v. 19. 20.

quae praemissa sunt ratione occidentis, *eum scil.*
redditum animam pro anima seu vitam pro vita.
 Quae sane non alio quam proprio sensu accipi
 posse docent iterum praecedentia; dum consti-
 tuitur, *vt si, qui cum marito certat, percusserit mu-*
lierem grauidam, vt non sit exitium, neque ratione
mulieris, neque ratione partus animati, mulieram,
quam imposuerit maritus, persoluat z). Cum cetero-
 quin eadem esset constituta poena, *scil. pecuniaria,*
et in eum qui occidit, et in eum qui aliud vitium
infert; quod nec ratio, nec mutatio sermonis in
sequentibus admittit: Et, ne quid dubii supersit,
 ait idem Legislator, (*secundum Legem quam*
dudum sanxerat ⁽¹⁹⁾, *qui sanguinem hominis effun-*
dit, per hominem sanguis eius effunditor a) eum,
qui proximum occiderit, omnino morte moritu-
rum b), vt pretium accipere non liceat c).
 Quod si itaque, *vti iam demonstratum, redditio*
animae pro anima proprie et secundum literam
accienda, vltro vtique fluit, et proxime sequen-
tia sic quoque intelligenda esse. Eumque Legis
 Diui-

z) Exod. XXI. v. 22.

(19) Videſis Miscellan. noſtr. Lib. ſing. cap. 33. P.

a) Gen. IX. v. 6.

b) Lev. XXIV. v. 17. 21.

Num. XXXV. v. 31.

Diuinae verum sensum esse, eoque modo eam apud Iudeos in visu fuisse, aperte docet Iosephus b), dum ait, ei, qui alterum visu priuat, oculum eruendum, nisi caecus pecuniam accipere vellet, id enim lura concedere e). Ut taceam, poenam pecuniariam respectu pauperum locum non habere, regulamque generalem, quae in omni poena irroganda seruari debet, ut scilicet iusta inter delictum et poenam delicti intercedat proportio, ex fana ratione ultra intelligi, neque speciali lege, verbis a communi sensu remotis concepta, opus habere.

Nihil autem in Lege Talionis hoc sensu iniungi, sed eam rationi et aequitati naturali conuenientissimam esse, ex ante dictis, ut puto, manifestum est; quae iam non repeto. Antiqua sane haec controvressia est, de qua notae sunt Disputationes Aristotelis contra Pythagoraeos, nec non Phauorini Philosophi contra Caecilium Ictum (20). Quorum aliorumque Dissentientium argumenta si coniungantur, eo fere re-

H 2 deunt.

d) Ant. L. IV. c. 8.

e) Vid. Exod. XXI. v. 19. Num. XXXV. v. 31.

(20) GELLIUS N. A. XX. 1. P. 117, 1.

deunt: Summam esse vlciscendi acerbitatem, ac proinde vltionem ac vindictam Iuri Naturae ac Diuino esse contrariam f). Non distingui in Lege Talionis, prudensne quis vitium intulerit, an imprudens, cum tamen in eo plurimum interfit. Neque in ea Iustitiam Distributiuam locum habere posse; quae eandem semper retributionem non admittit, sed rationem habendam vult personarum, loci, temporis, aliarumque circumstantiarum. Grauiora enim sunt, quae humiles audent in digniores, liberi in Parentes, liberti in Patronos, et in primis si inferantur in publico; Leuiora contra, quae a dignioribus sunt vilioribus, a Parentibus liberis, a patronis libertis, et quae priuatim committuntur. At secundum τὸ ἀντιπονθός euenturum, vt eadem poena afficiatur qui pugnum duxit Principi, vel Magistratui in Rep. qui que duxit homini ad medium Ianum vel etiam in ponte sedenti; filius qui patri, Paterque qui filio; Libertus qui Patrono, Patronusque qui liberto iniuriam fecerit. Non posse executionem iustum Talionis institui, neque seruari rumpendi aequilibrium; Quid enim, si monoculus oculum alicui

f) Vid. Deut. XXXII. v. 35. ad Rom. XII. v. 17. er seqq.

alicui eruerit, an ille visum amittet, qui visu non orbauit? vel si quis percusserit oculum alterius, vt recedat tertia pars lucis oculorum eius, quomodo percuti poterit percussione simili, vt neque addatur aliquid, neque detrahatur, vel diminuatur. Non dari vulnera ad mensuram, neque posse eadem longitudine, latitudine, et altitudine, redhiberi. Quod si autem plus fuerit aliterue commissum, rem fieri ridiculae atrocitatis, vt contraria actio mutuae talionis oriantur, et adolescent infinita quaedam reciprocatio talionum. Non posse denique retaliationem (21) locum habere in omnibus criminibus. Quod si enim Titius adulterauerit vxorem Maeuui, si Titius furtum fecerit Maeuio, vel per falsum Maevio nocuerit, secundum Ius Talionis Maeuium eadem debere facere Titio; Quorum turpitudo et absurditas vltro intelligitur.

Sed iniquius illi insectantur *Talionem*, quam par est, et argutiores eorum sunt taliones reciprocae, quam veriores, vti recte monuit Caecilius. Vltio priuata, immoderata, iniusta, illicita est; Non publica; Non ea quae fit auctoritate

(21) Melius hic noster scripsisset *hostimentum*, *retributio*. Püttm.

tate Magistratus. Immoderatae vltioni Lex iustum modum figens poenam instituit Talionis ^{g)}, id est, vt qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium pendat. An prudens quis vitium alteri intulerit, an imprudens? sane plurimum interest. Voluntatem in omnibus rebus spectari conuenit: Quae consulto facta non sunt, in eis fraudem esse non oportet: Quo animo quis faciat, non quo casu vtratur, ad rem pertinet; Non exitus rerum, sed humana consilia vindicantur: Quae ex improviso, casu potius quam fraude, accident, fato plerumque non noxae imputantur: vt, quod sine dolo malo commissum est, delictum proprie dici nequeat. Sed neque hic alia mens est Legislatoris. Licet enim verba generaliter sint concepta, prudentia tamen non excluditur, neque ad casum imprudentiae extenduntur. Lex sane Diuina non nisi de prudente loquitur. Quod tum ex aliis delictis, quae simul exhibentur, tum ex poena homicidii capitali manifestum est: Quae vt locum habeat, homicidium dolo commissum sit, necesse est: Casu vel culpa commissum ⁽²²⁾ esse non sufficit.

^{g)} Augustin. cont. Faust. L. XIX. c. 25.

⁽²²⁾ De homicidio culpoſo itidem diximus in Miscell. lan. cap. 33. Püttem.

cit b). Quin nec Decemuirorum alia mens fuisse videtur, licet haesitet et obscure hunc articulum tractet Caecilius. Posita enim est Lex *de Talione* in XII. Tabulis sub capite de *Iniuriis*; *Iniuria* autem delictum est; quod sine dolo committi non posse iam dictum est. Imo quantum ad *Iniuriam* attinet, *Iniuriam* ex affectu facientis consistere, neque alium quam eum, qui fecit se *iniuriam* facere, *iniuriarum teneri*, responsum est i). Quin et *Talionis poena* non semel dicitur, quae non nisi delinquentibus et prudentibus irrogatur.

Ratione eorum vero, quae de Iustitia distributiua, seruanda proportione, et aequilibrio, proferuntur, illud praemonendum, doctrinam Aristotelis de Iustitia Vniuersali et Particulari, Commutatiua et Distributiua, tam imbecillibus niti rationibus, vt, si in eam inquiratur accuratius, vix consistere queat, vti iam dudum demonstratum ab aliis (23); in quod iam non excurri-

i) Num. XXXV. v. 11. 15. 22. et seqq. Deut. XIX. v. 4. 5. l. 7. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 1. C. eod.

j) l. 3. §. 1. 2. ff. de iniur. add. l. 5. C. eod.

(23) Vid. praeter alios I. G. HEINECCII Pand. Lib. I. tit. I. §. 6. seqq. Püttrm.

currimus. Tum et probabile non esse, Pythagoram eiusque Sectatores Pythagoraeos, Viros sapientiae deditos, Rerumque Publicarum moderatores prudentissimos, Ius Talionis tam crudele, vti Dissentientes volunt, accepisse, certe nulla idonea auctoritate id probatum esse. Quantum autem rem ipsam concernit, proportio fane in irrogandis poenis seruanda, et vix fieri potest, vt Talio sit parissima. Verum nonne proportio hic adest iustissima? Quae poena delicto magis conueniens esse potest, quam quae profuit ex ipsa delicti natura (24), seu cum ipsum facinus mensura poenae est, cum idem illud in se patitur, quod alteri inferre non dubitauit. An iustior proportio concipi potest, quam illa, quae a prudentissimo delictorum aestimatore, ipso aequitatis et Iustitiae auctore, Deo, constituta est? Nonne maxima atrocitas est, praemeditato consilio oculos alicui eruere, qui pars corporis sunt pretiosissima, lucisque usu vitam a morte distinguunt k)? Vel membra pro lubitu rumpere, nullo pretio aestimanda? Vis fane et iniuria facilius comprimitur repraesentatione Talionis, quam repromissione vltionis; Nullaque

Lex

(24) De reis suo in vitio plectendis vberius exposuimus Aduersari, Lib. I. cap. 2. Püttm.

k) Plin. L. XI. c. 37.

Lex efficacior, magisque valida ad emendandos petulantibus et contumaces, alias a similibus deterrendos (25), statuendumque exemplum (quae vel maxime ad iustitiam poenarum pertinent) adeoque ad coercendam eiusmodi violentiam, ex cogitari potest, quam ut qui vitium alteri intulit, idem in se patiatur, quod alteri fecit, idem subeat periculum, eandemque in corpore suo recipiat deformitatem.

Quod si circumstantiae concurrant, quae extensionem poenae desiderant, arbitrium iudicis non excluditur, nec quidquam prohibet, si casus emergat insolitus, Legis poenam exasperari. Vti factum apud Thurios (vel Locrenses) apud quos cum eadem Lex lata esset, ut scil. si quis alteri oculum exclusisset, ipse quoque oculo orbaretur, et post ducentorum annorum spatium, quo iam eo iure vni fuerant, euenisset, ut inimicus inimico vnum tantum oculum habenti (cui saepius minatus fuerat, sese eum ex lusco coecum redditurum) oculum erueret, reusque,

cum

(25) De poenis exemplaribus vid. Opusc. nostr. iur. crim. cap. 9. Pütte.

2) Vid. Cic. de Off. L. I. c. II. Gell. L. VI. c. 14. l. 20. ff. de poen. l. 31. pr. ff. depof. l. I. C. ad L. Iul. rep.

cum non haberet, quod se excusaret, vnum oculum prieberet; Accusator vero iam excoecatus contenderet non vnum, sed vtrumque oculum ei eruendum, coecitatemque, quae sibi illata erat, ei similiter inducendam esse, colloque laqueo inserto rogaret, ut Legi Veteri adiiceretur, ut, si lusco oculus effodiatur, ei qui fecerit ambo effodianter; non difficulter obtinuit, ut alter vtroque oculo orbaretur (26), et Legi hoc modo subrogaretur m).

Quod si vero in exercenda talione modus aliquantum excedatur, id non iniuriae, sed poenae adscribendum est, cum habeat, quod sibi imputet, qui se huius poenae proteruitate sua reum constituit; Maxime cum iure Hebraeorum consentiente accusatore, et iure Legis XII. Tabularum eo etiam non consentiente, paetio concessa sit. Neque metuenda ridicula illa atrocitatis et talionis reciprocatio, quia executio non priuata, sed publica fit auctoritate, itaque est

(26) Quid quæsto est iustos severitatis egredi terminos, si hoc non est? Certe hoc lex initio haud fancinerat, nec, quod postea legi adiiciebatur, iusta ratione ad casus praeteritos poterat referri. Patrem.

m) Vid. Diod. Sic. L. XII. c. 17. Demosth. in Timocr.

est exercenda, ut locus non sit absurditatibus,
Quas abesse debere, ac proinde in adulterio,
furto, similibusque, in quibus τὸ αὐτοπεπονθός
turpidinem inuoluit, cessare, res ipsa lo-
quitur.

Vsum porro huius *Iuris RHADAMANTHI* seu
Talionis si consideremus, neque Iure Diuino, ne-
que Romano id penitus abrogatum dici potest.

Et quidem de Iure Testamenti Veteris vix
vllus id dixerit; Quo non tantum nusquam id
abolitum est, sed et non pauca occurrunt, quae
ad confirmationem eius spectant. Huc sane per-
tinet Lex de poena testis falsi, vt scil. falso testi-
fic fiat, quemadmodum molitus erat fratri
suo ^{a)}; et Historia de Susanna, senibusque se-
cundum dictam Legem ultimo supplicio affec-
tis ^{b)}. Huc pertinet factum et iudicium Ahas-
veri, secundum quod Haman ⁽²⁷⁾ ex eodem pa-
tibulo

^{a)} Deut. XIX. v. 19. et seqq.

^{b)} Adi. ad Dan. c. 13.

(27) Conferri hic meretur B. H. REINOLDI Exerc. ad
I. XI. C. de Iudeis et Coelicolis; in eius Opus.
iudic. p. 631. *Partim.*

tibulo suspensus est, quod parauerat Mardo-
caio *p*). Huc pertinet mandatum Darii, vt qui
Danielem accusauerant et effecerant, vt mittere-
tur in foueam Leonis, ipsi in eandem foueam
deiicerentur *q*). Huc denique pertinet commi-
natio ad Gentiles, *sicut fecisti, siet tibi. Retribu-*
tio tua reuertetur in caput tuum r); et similia.

Sed ratione Testamenti Noui maior posset vide-
ri subesse difficultas, imo Ius illud Talionis per ser-
vatorem nostrum aperte improbatum et sublatum
esse, dum inquit, *Audiuitis dictum fuisse, oculum*
pro oculo, et dentem pro dente. Ego vero dico
vobis, ne resistite improbo; sed qui te caedit in dexte-
ram tuam maxillam, obuertere ei et alteram s).

Verum enim vero non tulit Seruator nouas
Leges antiquis perfectiores; Non enim in hunc
mundum venit, vt Legem solueret, sed vt im-
pleret *t*). Neque nouis talibus Legibus locus
esse

p) Esth. VI. v. 9. 10.

q) Vid. Dan. VI. v. 25.

r) Obad. v. 15.

s) Matth. V. v. 38. 39.

t) Matth. V. v. 17.

esse poterat. Nam omnis Lex Mosaicis continetur tabulis, cui addi nihil potest neque detrahi, cum omnia referri possint ad Decalogum, seu Dilectionem Dei ac proximi *v*); Quo capite non aliud maius esse ipse asserit Seruator *x*). Et quomodo censeri potest improbasse Filius, quod sanxerat pater? Maxime cum et ipse docuerit, et inculcauerit praeceptum illud Iuris Naturae, *Quod tibi vis fieri, alteri feceris y*); Nec non gladio abutendum non esse, eo quod qui gladium acceperit, seu gladio occiderit, gladio quoque periturus sit *z*). Quin et nusquam tales nouae Leges occurrunt in Nouo foedere. Matthaei enim *v*. capite, vbi complures tales haberi quibusdam visum est, Seruator noster non Legislatorem agit, nouasue Leges promulgat, sed de eo sollicitus est, ut Legem Diuinam explicet, verum eius sensum doceat, eamque a falsis et peruersis Phariseorum interpretationibus purget; et quantum ad hanc causam attinet, ostendat, Legem Talionis non potuisse exerceri nisi per Iudicem

v) Vid. Matth. XXII. *v. 37.* et seqq. Luc. X. *v. 27. 28.*
Marc. XII. *v. 29.* et seqq.

x) Marc. XII. *v. 31.*

y) Matth. VII. *v. 12.* Luc. VI. *v. 31.*

z) Matth. XXVI. *v. 52.* vid. Apoc. XIII. *v. 10.*

cem a), adeoque male illam Légem accepisse Pharisaeos, dum docebant illam exerceri posse auctoritate priuata: Simulque monet, iniurias patienter potius ferendas, quam vt quis se ipsum propria auctoritate vlciscatur, et temere contendat cum Aduersario.

Sed nec abrogatum id in totum est Iure posteriori Romanorum. Apud quos in usu fuit, vsque dum Praetorum crevit auctoritas, ab iisque dari coepit Actio iniuriarum aestimatoria. Ex quo tempore poena talionis, vt et pecuniaria, quae lege XII. Tabularum introducta erat, ratione iniuriarum in desuetudinem abiit b): *Iniuriarum* inquam, non enim in totum et in omnibus causis poena talionis abrogata est, vt vix vilum eius vestigium in toto Iure nostro amplius occurrat, vt quidam asserere non dubitarunt. Eodem enim haud dubie fundamento nitiuit Edictum Praetoris, *Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem iure vtratur.* Quod summa habere aequitatem, et sine cuiusquam indignatione iusta, cum nemo aspernari, seu iuste
recu-

a) Vid. Exod. XXI. v. 22. et seqq. Deut. XIX. v. 21.

b) Gell. L. XX. C. 1. §. 7. I. de iniur.

recusare possit, idem ius sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit, ad Edictum monuit Vlpianus *c*); multisque Decisionibus, veluti in casu rescissionis venditionis iniuste impetratae *d*), actionis a Iudeo die Sabbathi contra aliquem institutae *e*), instrumentorum prolatorum *f*), testiumque productorum *g*), nec non Retorsioni Iuris iniqui hodiernae, locum fecisse, magis notum est, quam ut vltiori probatione indigeat. Hoc fundamento nititur Rescriptum Impp. Severi et Antonini, ut in criminibus, quae extra ordinem obiiciuntur, Praeuaricatores *eadem posna* affiantur, qua tenerentur, si ipsi in Legem commisissent, qua reus per praeuaricationem absolutus est *h*). Hoc fundamento nititur Rescriptum Impp. Theodosii et Valentiniani: ut si Haeretici Orthodoxos ad suum rursus baptisma dedu-

c) I. 1. pr. ff. quod quisque iur. in alt.

d) I. 7. C. de refc. vend.

e) I. 13. C. de Iudee.

f) N. 49. c. 1. §. 1. et Auth. Ad haec C. de fid. instr.

g) I. 17. C. de testib.

h) I. 6. ff. de praeuar.

deducant, et qui secerint, et qui (si ingenui sint) id in se passi fuerint, vel factum non detulerint, exilio et decem librarum auri multa damnentur, testamenti et donationis facienda utrisque dene-ganda licentia. Ut nulli Iudicium liceat delatum ad se crimen minori aut nulli coercioni manda-re, nisi ipse idem pari velit, quod aliis dissimulando concesserit *i*). Hoc fundamento nititur Rescrip-tum Honorii et Theodosii, ut quicunque crimen intendit, in Iudicium veniat, nomen rei indi-cet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiae similitudinem (habita tamen dignitatis aestima-tione) patiatur, nec impunitam fore nouerit mentiendi licentiam, *cum calumniantes ad vindic-tam poscat similitudo supplicii k*). Cum olim ex Lege Remmia frons calumpnioris nota signare-tur, literaque C. vel K. ad caput eius adfigere-tur *l*). Eodemque fundamento nititur Rescrip-tum Valentiniani, Valentis et Gratiani, ut ad commentariensem receptarum personarum custo-dia obseruatioque pertineat, nec putet hominem abiectum

i) I. vlt. C. ne sacr. bapt. reit.

k) I. vlt. C. de accus. I. vlt. C. de cal.

l) Vid. Cic. pro Rosc. Am. c. 20. Plin. Pan. c. 35.
I. I. §. 2. ff. ad Sc. Turp. I. 13. ff. de testib.

abjectum atque vilem obiciendum esse iudici, si reus fuerit aliquo modo elapsus: *Caeteroquin ipse eiusmodi poena consumatur, eni obnoxius docebitur fuisse, qui fugerit m).* Probauit etiam Iustitiam poenae Talionis ac renouauit Imp. Justinianus, dum constituit, vt qui sine causae cognitione aliquem excommunicauit, *quod iniuste fecit, iuste sustineat n).* Nec non, vt si quis aliquem castraverit, si quidem viri sint, *hoc quod alii fecerunt et ipsi patientur;* et si incolumes euaserint, tam bona eorum fisco addicantur, quam ipsi mittantur in Gypsum, ibidem per omne vitae tempus manfuri o). Probauit eandem et confirmauit Leo, dum sanxit, vt si quis cuiusquam visum laeserit, si vnum oculum alteri ademerit, *vno similiter comedique priuetur, ac poenam subeat Talionis;* si vero ambobus maleficas manus iniecerit, ipse vno orbetur, bessemque bonorum excoecato soluat, si diues sit. Sed si pauper sit, *tum similis calamitatis socius sit et particeps,* et utroque similiter lumine orbatus coecus viuat p). Probauit denique

Fride-

m) I. 4. C. de cust. reor.

n) N. 123. c. II.

o) N. 142. C. I.

p) Nov. 92.

Fridericus Imp. dum Legem promulgauit, Ut si peregrini intestati deceaserint, ad hospitem nihil perueniat, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, heredibus tradantur, vel in piis causas erogentur; Hospes vero si quid ex talium bonis habuerit, Episcopo triplum restituat, et insuper ei de rebus suis testandi interdicta sit facultas, *vt in eo puniatur, in quo deliquit q).*

Sed nec Iure Canonico Ius Talionis improbatur, verum tanquam iustum et aequum allegatur r); eademque ratione contra calumniatores a Pio V. Pontifice confirmatum legitur in Bullario (28). Neque moribus in vniuersum abrogatum est.

Si

q) Auth. *omnes peregrini C. comm. de success.*

r) C. 2. Cauf. 14. Q. 1. C. 1. Cauf. 23. Q. 3.

(28) Verba PII V. Pont. in Constit. edita an. 1566.

§. 14. Tom. II. Bullarii Magni pag. 192. sunt: Monemos praeterea omnes et singulos, ut solum Dei timorem prae oculis habentes, et non alia animi prava affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quodsi aliqui ex calunnia aliquos denunciasse comperti fuerint, eos ad poenam talionis teneri volumus et mandamus.,, *Primum.*

Si forte casus Legis multo tempore non existat, ut usus eius locum habere nequeat, vel usu non frequentetur; si diuersum aliquid praeter Legem recipiatur vel admittatur; Imo si apud unum alterumue Populum aliud sanctiatur, ipsa Lex non statim in totum abrogata dici potest, neque nimia in abrogationibus statuendis facilitate vtendum est. Abrogatum enim ut aliquid dicatur, de contraria voluntate Legislatoris ut constet necesse est. Caeteroquin enim locum sibi vindicat, *quod mutatum non est, cur stare prohibetur?* ^{s)}

Ipsi sane Iuris Criminalis Doctores, qui ius Talionis ab Aula et usu recessisse tradunt, Exceptiones quasdam admittunt. Veluti si Calumniator curet in vincula duci innocentem, criminis eum accuset capitalis, tantumque valeat, ut poena capitinis afficiatur; quem secundum ius Talionis similem poenam non eritaturum concedunt. Neque immerito. Nulla enim salus Reip. maior est, quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama, addo et de vita sua,

^{s)} Vid. l. 27. C. de testam. (29)

(29) Hac de lege disierimus Interpretat. et Obs. nostrar. Lib. sing. cap. 27. Pütts.

sua, quam illos, qui accusantur, de capite, ac for-
tunis suis, pertimescere *t*). Sunt namque perni-
ciosissimum Societati humanae genus calumniato-
res, crudeles, viperisque similes, ac proinde,
ex Agesilai sententia, maiori odio, quam fures
prosequendi, grauiterque in bene constituta Rep.
coercendi ac puniendi *v*). Qualia etiam non pau-
ca exempla occurrunt in Historia. Sic enim
Caesar delatorem, qui exorta seditione innocen-
tem accusauerat, eius loco interfici curauit ad
Placentiam x). Sic Constantinus M. Faustam
vxorem, quae Crispum (quem frustra deperierat)
vis sibi illatae falso accusauerat, capitis damna-
vit, qua poena Crispum filium affici praeceperat;
et uti Zonaras *y*) et Apollinaris *z*) auctores
sunt, quemadmodum Crispum frigore veneni, sic
Faustam intenso balnei calore extinxit. Sic Ot-
to III. Coniugem suam Mariam, cuius impulsu
Nobilem quandam innocentem, quasi eam de
stupro

x) Cie. in Diuin. cap. 21.

v) Vid. Demosth. in Aristogit. Arist. Pol. L. VI. c. 5.

x) App. Bell. Ciui. L. II.

y) Ann. L. XIII.

z) L. V. Ep. 8.

stupro sollicitasset; gladio feriri mandauerat, poena similiter capitali, et quidem grauissima, ignis scil. affici iussit *a*). Sic accusator Fabricii Maramaldi, qui Neapoli Maramaldum proditoris reum fecerat, cum se ab inimicis Maramaldi subornatum et pecunia corruptum confessus esset, tanquam scelestus calumniator, iussu Philiberti Aurantii, talionis poenas in partes dissec-tus dedit *b*). Sic denique Perusini falsum accusatorem, qui id egerat, ut innocens gladio plecto-retur, capite truncarunt *c*). Idemque admit-tunt in teste falso, Iudice seu Magistratu testimoni-ad falsum testimonium cogente, nec non in eo, qui memoriam defuncti accusat *d*). Quin et vti plerique iniuitatis Talionis poenam insimulare non sustinent, sic nec omnes in totum eam abrogatam esse contendunt, sed multi Iudicis arbitrio eam commissam esse statuunt; Ut pro diuer-sitate circumstantiarum, prout ipsi visum fuerit, etiamnum vel poenam Talionis, vel aliam decer-nere

a) Crantz Saxon. L. IV. c. 26.

b) P. Iov. Hist. L. XXVI.

c) Clar. Sent. L. V. §. vlt. Q. 81. n. 3.

d) Clar. d. l. Addit. n. 1. et seqq.

nere possit e). Quod et exempla recentiora non pauca confirmant.

Quis itaque non videt, Leges Cretensium vti antiquissimas sic et optimas fuisse? Quis amplius dubitet, RHADAMANTHUM non tantum Judicem sed et Principem et Legislatorem fuisse? Quis non miretur RHADAMANTHI in Iustitia adminiſtranda constantiam ac seueritatem? in Rep. regenda peritiam, et Legibus ferendis prudentiam et aequitatem? Quis non beatas praedicet Res publicas? quibus talibus RHADAMANTHIS fruidatum est, quibus Iudicia sunt incorrupta, quibusque Legibus vti licet ex Iure Naturae et Diuino deriuatis, et a Iure Diuino quam minimum recedentibus.

e) Vid. Harp. ad. §. 7. I. de inj. n. 11. Farin. pr. Crim. L. 1. T. 2. Q. 16. n. 5. et seqq.

MAN-

MANTISSA
 EX
 I. A. FABRICII
 BIBLIOTHECA GRAECA
 VOL. II. PAG. 19. SQ. EDIT.
 QUAE CURA
 T. C. HARLES
 HAMBURGI 1790 PRODIIT.

RHADAMANTHYS siue RHADAMANTHUS, Mi-
 nois Sarpedonisque frater, Europae et Asterii
 Cretenium regis filius, notante Syncello p. 153.
 primus Cretenibus leges tulit *), ex quibus
 hunc

*) Rhadamanthus praepostero ordine ante Minoem
 collocatur. Minos enim primus filium habuit Ly-
 caustum, qui ex Ida, Corybantis filia, tres suscepit
 filios, Minoem secundum, Sarpedonem et Rhada-
 manthum. Enim uero Apollodorus *Lib. III. c. 1.*
 Dio-

hunc versiculum affert Aristoteles *Lib. IV. Ethic.*
ad Eudemum c. 3.

Eiae

Diodorus Sic. *Lib. IV. c. 60.* et *Lib. V. c. 84.* Strabo *Lib. X. p. 730.* edit. Almelou. et nonnulli alii scriptores veteres Minoem auum ac nepotem haud satis distinguunt, et utriusque res promiscue narrant; Qua confusione etiam Fabricius deceptus Rha-damanthum Asterii et Europae filium facit, primumque Cretensium leglatorem, quem postea Minos fuerit imitatus, constituit. Cuius auctoritate motus deinceps eundem errorem erravit Bruckerus *Hist. Crit. Philos.* Tom. I. p. 437. Vide Marshamum *Can. Chron.* p. 252. seq. edit. Ien. Prideauxium in *Marm. Oxon.* I. p. 383. seq. edit. Lond. Mablium (de Mably) *Olsoru. de Hist. Graec.* (*Observations sur l' histoire de la Grece Lib. I. p. 3. sq.*) et, qui de duobus Mi-noibus, primo et secundo, distinguendis breuiter differuit, Banierium (*Distingtion de deux Minos*) in *Hist. Acad. Inscript.* Tom. III. p. 49. seq. edit. Par-ris. et Tom. II. p. 68. seq. edit. Amst. Minos secun-dus omnium sui temporis classe fuit potentissimus, teste Thucydide *Lib. I. c. 4.* quam ob causam θε-λατονάρτω a veteribus identidem vocatur. Vide praeter Meursium in *Creta Lib. III. cap. 3.* et Cum-berlandum *Orig. Gent. Antiquiss.* p. 299. a Waffio ad *Thucyd.* d. I. laudatos, Seldenum *Lib. I. Mar-* *Clans.* c. 9. Schefferum *Lib. II. de Milit. Nau-* *Vet. c. 1.* Marshamum p. 293. et in primis pererudi-tam Heynii *Comment. de Castoris epochis populorum,*
qui

Εἶναι πάθοι τὰ καὶ ἔρεξε δίκη καὶ ἴδεῖα γένοιτο.

Quae fecit, si quisque ferat, ius fiet et ae-
quum.

De poena talionis, quam *ius Rhadaman-*
theum nonnulli vocant, erudite egit Io. Andr.
Danzius' singulari dissertatione, in qua etiam
plura de Rhadamantho §. XII. sq. in Meuschenii
Neu. *Test. ex Talmude illustrato* p. 560. sq. *).

Aliam

qui maris imperium tenuisse feruntur, quae existat
Nov. Comment. Soc. Götting. Tom. I. p. 80. sq.
Quod quidem imperium maris ad Minoem primum
cum aliis perperam retulit Io. Henr. Boeclerus Diff.
Minos maris dominus, quae est Dissertat. Acad.
Tom. II. XXXVI. p. 1073. sq. et nobilissima contro-
versia, de dominio maris inter liberas gentes re-
centiore aetate agitata, simul immixta, multa con-
tra germanos iuris gentium rationes temere dicta
complebitur. RICHT.

*). De eodem argumento differuit Io. Ortw. Westen-
hergius *Orat. de Iure Rhadamanthi*, *Lugd. B. 1726.*
4. typis descripta, quam a Io. Cour. Ruckero *Orat.*
IV. p. 328. edit. Lugd. B. 1749. 8. et * *Io. Henr.*
Iungio praef. Tom. I. Oper. Westenbergii, Hanou.
et Luncb. 1746. 4. laudatam, omni data opera, occu-
lis usurpare mihi nondum licuit. Illam quidem
cum aliis Westenbergii opusculis Tom. III. exhiben-
dam pollicitus est Iungius, qui vero, abiecta ab
editore

Aliam legem, ne in iurecurando Deos nominare fas
esset, refert Suidas in Αάμπων. Confer Zeno-
bium *V. Proverb.* 81. et Hesychium Apostolium
ac Suidam in Παδαμάνθυος ὄρκος. Porphyrius
Lib. III. de abstinentia a caede animal. p. 285.
Κεντὶ δὲ νόμος ἐν Παδαμάνθυος, ὄρκον ἐπάγεσθαι
πάντα τα ζῶα *). Professus autem est Rhada-
man-

editorie pariter ac librario omnia nanciscendi spe,
lucem nunquam vidit. Nam qui postea sub titulo
Tomi III. Hanov. et Brem. A. 1758. editus est *Diuus
Marcus*, non est repetitum typis Germanicis exem-
plum, sed, adquisito a prioribus redemptoribus iure,
et, ut in tali re moris est, prima plagula mutata,
ipsa apud Batauos ante facta impressio. Quare, nisi
quis denuo Westenbergiani ingenii monimentis ob-
stetricia quasi manu auxilium ferat, et hac de *Iure
Rhadamanthi*, et ceteris exasciatis scriptiunculis hu-
manioris iurisprudentiae studiosi, praesertim inter
Germanos, aegre carere debent. De Rhadamantho
vide etiam Huetium *Demonstr. Euang. Propof.* IV. c.
8. §. 12. nec non Heynium *Not. ad Apollod.* P. I. p.
335. *Sq. RICHT.*

*). Rhadamanthum, ad ambages litium praeſcindendas,
introduxisse in singulis cauſis iurisiurandi vſum, re-
fert Plato *Lib. XII. de Legg. Tom. II. Oper.* p. 948.
edit. Serran. Illis enim temporibus, deos esse
resque

manthus, a Ioue se accepisse, quas promulgaret,
leges, vt docet Ephorus apud Strabonem *Lib. X.*
p. 476. Vide et Schol. Euripidis ad *Hippolytum*
v. 98. et quae viri docti ad Virgil. *VI. Aeneid.*
566. sq. Diodorum Sic. *Lib. V. p. 238.* Caete-
rum quod in Rhadamantho Aaronem, vt in Mi-
noe Moysen reperisse sibi visus est Christ. Wor-
mius, vt parum credibile omitto. Negat enim
ille, Minoem et Rhadamanthum vsquam in re-
rum

resque humanas curare, adhuc omnes uno ore ho-
mines confitebantur. Quam simplicem iudiciorum
formam celereisque controversiarum terminanda-
rum rationem, in communi omnium in deos
pierate, Platonis auctoritate commotus praedicat
Montesquieus de *Caussis Legum Lib. XIX. cap. 22.*
Legem Rhadamanthi de iureiurando illustrarunt Iac.
de Rhoer et Reiskius ad *Porphyri. Lib. III. §. 16.*
not. 4. et 16. Ceterum a Fabricio praeteritum esse
miror insignem locum Apollodori *Lib. II. Biblioth.*
c. 4. sect. 9. vbi hanc Rhadamanthi legem, qua Her-
cules in iudicio de caede Lini cithara percussi exer-
cito reus, fuit absolutus, laudat: ὅς ἂν ἀμύνηται
τὸν χειρῶν ὀδίνων ἀρξαντα, ἀθῶν εἶναι, quam haud
memini me alibi legere. Richt.

rum natura fuisse, in libro *de corruptis antiquitatibus Hebraearum apud Tacitum et Martialem vestigiis*, cap. IIII. p. 43 - 47. vbi inquirit, unde Tacitus Creta oriundos Iudeos scripsit.

ELO-

ELOGIUM
 IO. ORTW. WESTENBERGII
 EX
EMONIS LUCII VRIEMOET
 ATHENIS FRISIACIS
 (LEOPARDIAE 1758. EDIT.) PAG. 776. SQ.

IOANNES ORTWINUS WESTENBERG,
 JURISPRUDENTIAE PROFESSOR 1716.

Neohusio Benthemiensis. Natus d. xxviii.
 Maii an. 1667.

Proauum habuit Wesselium Westenbergium,
 an. 1564. puriorum facrorum in Comitatu Ben-
 themensi tunc innotescientium primum in eccle-
 sia Ohnenfi doctorem publicum.

Auum

Auum, Ioannem, perlustratis plerisque Germaniae academiis, apud Basileenses Medicinae Doctoris ornatum laurea, eiusdem ac Matheos in Gymnasio Steinfurtano Professorem.

Cuius filius, nostri Pater, Ioannes Ortwinus Ill. Comitis Benthemiensis, apud quem perpetua gratia floruit, totiusque Comitatus Archiater.

Hic, ex Gertrude Geßeler, Ioannis, in Vlsensi apud Benthemientes dioecesi Quaestoris et apud Neohusanos mercatoris, filia, octo suscepit liberos. Quorum, qui ad adultam aetatem peruererunt, filii tres: Ioannes Arnoldus, Ictus, satrapae vices in Comitatu Lingensi cum dignitate obiit. Ernestus Wilhelmus, apud Harderovicenos, ab an. 1701. ad xvi. Nou. 1712. quo fato functus est, Medicinae Professor et Archiater ^{a)}, cuius filius Ioannes Ortwinus, Lochemensis ciuitatis Consul, eiusque nomine ad potentiss. Belgii Sociati Ordines delegatus fuit. Noster denique Ioannes Ortwinus.

Qui a prima aetate, cura optimorum Parentum, pietatis et sapientiae praeceptis imbutus; scholis

^{a)} Series Profess. Harderou, ad calcem Grat. in annum Iubilaeum Acad. cl. Io. de Gorter pag. 42.

scholis triuitibus, primum Benthemiensibus, dein, mortuo inter haec Patre, Lingenibus, necessariis ad altiora instructus adminiculis, anno aetatis suae XIV. ad Gymnasium Steinfurtanum se contulit. Vbi egregiis usus consiliis Iodoci a Geßeler, Iurisprudentiae Professoris, Auunculi sui, studiis ad solidam Iuris peritiam propaedeuticis, interque reliqua, philosophicis, praeeunte Simone Gerlacio Ebelio, strenue se dedidit.

Hinc vero, biennio fere post anno 1682 b) ad florentissimam Academiam nostram Frisiacam contendit. In qua, ad pleniores sermonis Latini cultum, nec non Historiarum et antiquitatum Romanarum comparandam sibi adcuratam notitiam, institutione eximii Iacobi Perizonii usus est. Quo praeside Disputationem de duobus maxime insignibus L. Flori locis publice defendit c).

Addendum sibi quoque censuit Dogmatics Theologicae gustum, doctore magno Campegio Vitrunga.

Fir-

b) Alb. Acad. VIII. Sept. 1682.

c) Franeq. 1684. 4. Dissertatio Perizonii erat, non ipsius Westenbergii, ut credidisse videtur I. H. Iungius, in praefat. ad opera eius.

Firmato hisce doctrinarum adiumentis et praeſidiis pectore, tandem ad Iurisconsultorum caſtra ſe contulit. Doctoribus viſus binis, Iurisprudentiae tunc luminibus, Gerardo Noodtio et Vlr. Hubero.

Adſecta autem inter adſiduos hosce in ſtudiis ſuis labores valetudine, reuerti in patriam coactus, poſtquam feliciter conualuiſſet, contulit ſead Harderouicenes. Vbi intermiſſum aliquamdiu ſtudiorum curſum, ſolita et innata mentis incitatione repetens ſemel atque iterum, Praefide Auunculo ſuo Iodoco a Geſſeler, de ſuccēſſo ab iuueniente poſtquam publice diſputaſſet, Groninganas quoque Muſas ſibi adeundas cencuit.

Tandemque an. 1687. in Academia Harderouicena, poſt habitam de Uſuris Disp. publicam Iurisconsultorum ordini eſt adſcriptus.

Mox ſeq. anno admotus Professioni Pandectarum in Gymnaſio Steinfurtano, quam, habita Oratione de excellentia Iuris Romani, alacriter iniuit, et egregie exornauit, cum multo auditorum ad ſcholas suas confluxu. Eodem cum ſuccēſſu

cessu deinde quoque demandatam sibi Historias et Eloquentiam publice docendi prouinciam administrans. Quibus hunc sibi fauorem et honorem paravit apud Illustr. Comitem Bentheimensem, vt in publicis rebus vteretur consiliis eius, tandemque univerfa fere totius Comitatus negotia ipsi permitteret, quae Noster summa prudenter ac fide bono publico tractauit.

Moti vero fama meritorum eius academiacæ Harderouicenæ Ephori, euocarunt ad se pro Iuris Professione ornanda, an. 1695. Quam auspiciatus Oratione de Ratione docendi et discendi Iuris, et docendo adsidue, et edendis, qua disputationibus, qua libris, boni Antecessoris numeros omnes implere instituit. Quinquies illic gesto magistratu Rectorali ^{d)} spatio annorum XXI.

Quo exacto, allectus tandem fuit ad Academiam nostram, in locum ampliss. Zachariae Huberi, ad supr. Curiae Fris. Senatum tunc translati. Adgressus publice munus suum Oratione

de

^{d)} Annis 1696, 1699, 1704, 1709 et 1714. Ser. Profess. Harderou. ad calcem Orat. Iubil. cl. Io. de Gorter, p. 41.

de Iurisprudentia Rationali, d. III. Decemb. an.
1716. Et satisfecit adeo spei de se conceptae,
vt Proceres Groningani magnis propositis condic-
tionibus an. 1720. sibi ipsum vindicare magni-
pere niterentur. Sed, intercedentibus, cum
luculenta honoris praefatione oblato salarii annui
augmento, Frisiis nostris, mansit egregio Acad-
emiae nostrae commodo et ornamento, ad annum
usque 1723. Quo, post rectoris munus positum
anno praecedente, cedere debuerunt Westen-
bergium Leidensibus, Professionem Iuris Ciuilis
Romani et hodierni, d. XVI. Julii offerentibus
ipſi; quam nemo facile miretur recusandam sibi
non duxisse. Auspicatus eam d. XXVII. Sept.
dicti anni, Oratione de Philosophia Iectorum, et
in primis ea, quae circa Legum collisionem ver-
satur, spectata dudum industria sua, cum digni-
tate plurimoque auditorum cum fructu, tuitus
est egregie, bis etiam gesto Acad. magistratu-
annorum spatio XIV.

Donec tandem, malo scorbutico saepius iam
aliquamdiu, nonnumquam etiam grauissime, ad-
flictus, et decrescentibus paullatim supremis an-
nis corporis animique viribus, fractus denique et
prostratus morbi atrocitate, nocte fere media
XXX. Iunii 1737. vitam integerrime actam, pro-
dita

dita in extremis intrepida constantia, et tenerimis animi motibus, quibus in sola Christi Seruaturis nostri propitiatione collocatam fiduciam exprimebat, cum beata morte commutauit; teste clariss. Io. Conr. Ruckero, Icto et Antecessore, qui optimo Collegae suo d. XXX. Sept: eleganti Oratione parentauit e).

Laudat hic, praeter alia, siue ad eruditio-
nem et adsiduam industriam, siue egregias mo-
rales virtutes pertinentia, quibus publice priua-
timque honoratus, bonisque omnibus carus et
acceptus fuit, Westenbergii nostri „incredibilem,
„quem longo vsu contraxerat, in quibusunque
„rebus plane et perspicue expediendis, habitum,
„quo plane incomparabilem fuisse dicit f): Ad-
„dit g): summa fide et indefesso labore auditio-
„res suos ad Iurisprudentiam simul et ipsam lu-
„stitionam sic formasse, ut non solum, quae Iuris

K 2 „ciui-

e) Exstat inter Orationes quinque, Syllogae Dissert. de Temporis computatione in Iure, nec non Observat. et Interpretationum eius, Leidae an. 1749. 8. editae, adiunctas.

f) Ibid. pag. 322, 323, 326.

g) Pag. 327.

„ciuilis regulis et legum rigori conueniant, diligenter traderet, sed perpetuo etiam et cum cura simul inculcaret, qua ratione, quae du riora videri possent, interpretatione temperari, et ad naturalis aequitatis simplicitatem redigi debeant.

Vxorem habuit, primum ab an. 1697. Mathildim a Gesseler, amitinam suam, Hermanni a Gesseler, vniuersi Benthemiensis Comitatus Quaestoris et Consistorii supremi adfessoris, filiam, quam altero statim a nuptiis anno amisit. Deinde, ab an. 1710. Annam Gertrudim de Wit, filiam Gerhardi apud Vesalienses Iudicis et mercatoris primarii, quam potitus per XXIV. annos, suavi et concordi maxime coniugio, mortuae absque superstite prole, quam ter enixa fuerat, sed in ipsis semper vitae principiis raptam, vix triennio superuixit,

SCRIPTA WESTENBERGII

EXSTANT:

Disputatio inaug. de Usuris. Harderou. 1687. 4.

Disputationes, de seruitutibus, de Emphyteusi,
de Querela Testamenti inofficiosi, de Fructu
tuum

tuum perceptione, de consuetudine, de Fo-
ro competenti. Steinfurti.

Principia Iuris, secundum ordinem Institutionum.

Accedunt Dissertationes IV. de Portione Legi-
tima liberis, parentibus et fratribus relin-
quenda. Amstelaed. 1699. 8. Secunda edi-
tio, Harderou. 1704. 8. Tertia, Franeq.
1719. 8.

**De Causis Obligationum Liber singularis, s. Dis-
sertationes nouem.** Harderou. 1704. 8.

Principia Iuris, secundum ordinem Digestorum
s. Pandectarum, Harderou. 1712. 8. Altera
editio auctior, Lugd. Bat. 1732. 8. Tertia,
auctior et emendatior, Ibid. 1745. 8.

Diuus Marcus, s. Dissertationes ad Constitutio-
nes Marci Aurelii Antonini Imperatoris, Lugd.
Bat. 1736. 4.

Orationes porro, partim inaugurales illae, quas
supra vidimus; Franequerana, 1717. fol. Lei-
densis, 1723. 4. partim Rectorales, inter
quas, de Calculo Mineruae, s. de Lege iuris
eiusque iustitia, Harderou. 1715. 4. h)
de

h) Reliquae IV. Harderouenses, cum inaugura-
tum Harderou. tum Steinfurtana, num lucem vide-
rint, mihi non constat.

de Iurisprudentia Pauli Apostoli. Franeq.
1722. 4. recusa sumtibus orphanotrophei Ba-
ruthini, an. 1738, de Iure Rhadamanthi, L.
Bat. 1726. de Iurisprudentia Q. Cerbidii Scae-
volae, Ibid. 1734.

Omnia tandem Opera Westenbergii Iuridica,
in III. Tomos collecta, edere adgressus
est I. H. Jungius, Nostri quondam discipu-
lus, Quorum vero duo tantum adhuc, quan-
tum scio, prodiere, primus principia Iuris In-
stitutionum, cum Dissert. de Portione Legi-
tima, et de Causis Obligationum; alter Princi-
pia Iuris Pandectarum complexus. Hanoue-
rae 1746 et 1747. 2 voll. 4.

Ka 688


W 18

ULB Halle
007 679 068

3



228



2

IOA. ORTWINI WESTENBERGII

ICTI QUONDAM

APUD

BATAVOS CELEBERRIMI

OPUSCULORUM

ACADEMICORUM

FASCICULUS PRIMUS

OB

RARITATEM ET PRAESTANTIAM

DENUO EDIDIT

ANIMADVERSIONES NONNULLAS ADSPERSIT

ET PRAEFATUS EST

IOS. LUD. ERN. PUITTMANNUS

ANTECESSOR LIPSIENSIS.

LIPSIAE

APUD CHRISTIANUM ERNESTUM GABLERUM

M D C C X C T V.